Breslau 1900

Breslau

De clausulis Arnobianis

Dissertatio inauguralis philologica

quam consensu et auctoritate
amplissimi Philosophorum ordinis ad summos in
philosophia honores in universitate litterarum
Viadrina Vratislaviensi rite capessendos die
XVIII. mensis aprilis anni MCMX hora XI et dimidia
in aula musica una cum thesibus publice defendet

Theodorvs Lorenz
Silesius

Adversarii erunt

Walter Frenzel cand. phil.
Walter Rabenow cand. phil.

Vratislaviae
Impr. Wilh. Gottl. Korn
MCMX

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit

F. Skutsch.

Examen rigorosum habitum est die XXII mensis Decembris anni MCMIX.

Francisco Skutsch

S

Numerum oratorium ab omnibus fere scriptoribus Latinis inde a Cicerone, oratorum Romanorum apice vel columine illo, usque ad vergentem mediam aetatem adhibitum esse quamquam viros doctos iam antea non fugit tamen triginta his annis iis contigit, ut normas quasdam et regulas intellegerent. Cum alii tum Havet[1], Meyer[2], Müller[3], Norden[4], Wolff[5], Zielinski[6] de hac dicendi ratione illustranda bene meruerunt neque iniuria praedicaverunt, quantum clausulae valeant et ad scriptorum Romanorum prosodiam cognoscendam et ad textum genuinum recuperandum. Sed quot scriptorum rhythmus bene consultoque exploratus est, tot disputatione accurata atque disposita carent, in his Arnobius.

K. Stangium[7] quamquam de numero Arnobiano egit, tamen cum priores de clausulis quaestiones neglexisset, non multum profecisse Norden recte iudicavit. W. Meyer[8] quoque cum de libello illo Havetiano dixit, rhythmi Arnobiani rationem habuit, sed rectam componere conatus formulam qua usi clausulas adhibuissent scriptores Romani, modum excessit cum omnium numerorum fundamentum esse creticum comprobare studuit. Locos enim qui ad hanc rationem atque artem revocari non possunt, satis habet aut absolvere his verbis: 'Da hier die Grundlage des Systems geändert ist, glaube ich, daß derartige Schlüsse auf Mißverständnis oder falscher Konstruktion beruhen' aut creticum, quem 'verschoben' vocat, statuendum esse putat, qui quantopere a vera clausularum natura abhorreat, ex Zielinskii libro clarissimo satis superque apparet. Quae cum ita sint, de integro numero Arnobiano perspiciendo studui idque non frustra opinor, nam contigisse

[1]) Havet, la prose métrique de Symmaque. Paris 1892.

[2]) W. Meyer, Gött. Gel. Anz. 1893 = Ges. Abhandlgg. II p. 256 ff.

[3]) E. Müller, de numero Ciceroniano. Diss. Berol. 1886.

[4]) Norden, die antike Kunstprosa.² Lpz. 1909. App. II p. 909 ff.

[5]) J. Wolff, de clausulis Ciceronianis. Ann. Phil. Suppl. XXVI 581/680.

[6]) Zielinski, das Klauselgesetz in Ciceros Reden. Philol. Suppl. IX. Heft 4. 1904.

[7]) K. Stange, I. de Arnobii oratione; II. de clausula Arnobiana. Prog. Saargemünd 1903.

[8]) Meyer, l. c. p. 256 (237).

mihi puto, ut nonnullas quaestiones persolverem. Hac autem ratione demonstrandi utar:

Capite primo disputabitur de clausularum formis.

Capite secundo dicam de observatiunculis quibusdam prosodiacis.

Caput tertium pertinebit ad aliquot verborum genera verborumque coniunctiones, quae Arnobius in clausulis adhibere adamat.

Capite quarto proferam, qua vocum collocatione scriptor noster sit usus.

Capite quinto paucis agitur de distinctione quatenus cum numeris congrua esse videatur.

Capite denique sexto persequar, quanti momenti sint clausulae ad genuinam textus formam recuperandam.

Caput I.

De clausularum formis.

Viri docti quamvis ante paucos annos de clausularum formis inter se dissenserint, nunc ea quae Zielinski in libro supra commemorato praeclare explicavit, puto comprobare omnes. Quam bene iecerit illa fundamenta, novum exemplum egregium est Arnobius. Nam hic quoque has clausulas quattuor in deliciis habet:

I — ∪ — — ~
II — ∪ — — ∪ ~
III — ∪ — — ∪ — ~
IV — ∪ — — ∪ — ∪ ~

E quibus rhythmi generibus si pro baseos cretico posueris molossum vel choriambum vel dactylum et in cadenti quae vocatur parte pro trochaeis substitueris spondeos et longas syllabas dissolveris, ceteras formas omnes derivari nemo est quin sciat. Sed accedit, quod Arnobius, ut infra demonstrabimus, non modo syllabarum quantitatis verum etiam aliquam accentus verborum rationem habuisse videtur.

§ 1.

De prima clausula.

Ac primum quidem formas primae clausulae usitatas perlustremus.

Creticus ante trochaeum ponitur (´ ◡ ` ´ ~):

3, 22[1]): *examinatione pendamus;* 10, 22: *esse non debet;* 19, 19: *solubilesque natura;* 31, 24: *restituit atque sanavit;* 73, 5: *difficultate declarat;* 186, 16: *obiecisset offenso.*

Alia exempla exstant: 51, 17. 57, 27. 61, 2. 75, 7. 85, 18. 91, 17. 102, 14. 111, 10. 264, 13. 268, 23.

Primam syllabam longam cretici dissolutam videmus (◡́◡ ◡ ` ´ ~): 39, 19: *artificia verborum;* 41, 26: *susciperet iniectum;* 45, 29: *ambigua res esset.*

Praeterea 48, 6. 61, 21. 75, 24. 87, 20.

Altera syllaba longa cretici dissoluta est permultis locis quo ex numero afferam (´ ◡ ◡̀◡ ´ ~):

5, 8: *disciplinarumque rationes;* 5, 19: *sacramenta patefecit;* 6, 18: *comminuisse regiones;* 12, 24: *nomadibusque tribuerunt;* 53, 1: *intentione videamus.*

Addo: 14, 10. 16, 13. 21, 22. 25, 27. 28, 2. 32, 1. 33, 4. 35, 15. 37, 17. 38, 6. 42, 13. 45, 3. 49, 19. 54, 5. 64, 6. 84, 16. 92, 19.

Utraque arsis ex syllabis brevibus constat (◡́◡ ◡ ◡̀◡ ´ ~): 21, 12: *ambigere dubitare;* 75, 9: *accipere mereamur;* 265, 8: *caerimoniarum officia violare.*

Trochaei syllaba longa in duas breves dissoluta est (— ◡ — ◡́◡ ~):

4, 26: *tellus recusat accipere,*
13, 14: *insanire quam furere,*
16, 15: *donare muneribus,*
42, 10: *non quibat efficere.*

Alia 11, 6. 12, 8. 12, 12. 14, 6. 19, 15. 32, 5. 35, 5. 85, 20.

§ 2.

De clausula secunda.

Non minus fere frequenter quam prima forma sententias ornavit Arnobius, creticum cum cretico numeri causa coniunxit (— ◡ — — ◡ ~).

En exempla:

3, 4: *ex oraculo dicere;* 5, 16: *continuatione diduxerit;* 46, 16: *velle per viscera;* 59, 21: *consumentur igni fero;* 62, 4: *providentiam non habent.*

Praeterea:

65, 19. 67, 22. 75, 25. 82, 19. 86, 14. 93, 25. 97, 21. 100, 3. 107, 9. 111, 22. 214, 7. 230, 6.

[1]) Reifferscheidii editionis sunt paginae et lineae.

Molossum cum cretico non ita raro clausulae dicreticae vice fungi ex his conclusionibus apparet (´ — ` ´ ◡ ~):

3, 7: *curis sollemnibus,* 10, 21: *sanguinis tui fervorem solet,* 20, 30: *cunctorum quaecumque sunt.*

Alia exempla invenis in 28, 29. 30, 3. 34, 2. 27. 36, 29. 40, 10. 67, 17. 69, 25.

Choriambus pro cretico priore ponitur (´ ◡◡ ` ´ ◡ ~):

6, 2: *significatum dedit,* 9, 6: *lineis pariunt haec mala;* 22, 23: *Iuppiter esse deus qui potest.*

Accedunt: 17, 6. 18, 20. 21, 14. 26, 12. 43, 20. 66, 19. 99, 13.

Dactylus pro cretico statuendus est his locis (´ ◡◡ ´ ◡ ~):

55, 24: *iudicare fideliter;* 209, 5: *oras venit ad Atticas;* 240, 9: *sensibus affici.*

Dissolutas formas numeri dicretici videmus:

17, 7: *supplicia capitalia;* 51, 16: *intellegitis haec omnia;* 100, 11: *animi contentio.*

§ 3.

De clausula tertia.

Venio ad formam tertiam, quam scriptor noster in finibus non tam commatum quam sententiarum et periodorum adamat.

Creticus cum ditrochaeo exstat his locis (´ ◡ ` ´ ◡ ´ ~):

3, 13: *silentio destitutam;* 6, 28: *periculum civitates;* 8, 20: *sanctionibus conveniret;* 28, 8: *corporis nuncupari;* 110, 10: *proscriptionem bonorum.*

Alias clausulas eiusdem generis habes: 7, 11. 12, 19. 23, 11. 47, 12. 61, 21. 74, 24. 91, 18. 100, 22. 128, 24. 146, 11. 233, 22.

Creticus anteit dispondeum (´ ◡ ` ´ — ´ ~):

17, 18: *imperatorem nescit;* 40, 12: *abiecisse sermonis cultum.*

Molossus cretici partes suscipit (´ — ` ´ ◡ ´ ~):

14, 18: *est ardere illos ira;* 45, 25: *omnes accurreretis;* 59, 25: *animas immortales esse;* 89, 27: *iuri subiectas mortis.*

Choriambus ditrochaeo praemittitur (´ ◡◡ ` ´ ◡ ´ ~):

3, 8: *regionibus exterminatos;* 5, 22: *offensionibus exasperati;* 31, 2: *imaginationibus existimarent.*

Praeterea:

35, 4. 36, 20. 54, 2. 80, 23. 87, 2. 110, 1.

Dactylus antecedit (´ ◡ ◡ ´ ◡ ´), velut:

4, 6: *principaliter institutas;* 11, 1: *spirantibus addiderunt;* 26, 13: *unguine sordidatum.*

6, 29: *tempora non viderunt;* 13, 7: *accipiatur vulnus;* 66, 14: *omnia nesciturus.*

Alia 4, 21. 5, 24. 11, 8. 16, 9. 26, 2. 5. 31, 8. 65, 27. 84, 15. 11, 4. 7. 17, 8. 20, 9. 27, 26. 29, 12.

Ex numero dissolutarum huius rhythmi formarum satis habeo has afferre:

17, 28: *principis veneratores;* 29, 11: *immittere cupiditates;* 110, 9: *pestilentias sterilitatem.*

§ 4.

De clausulis quarta, quinta aliisque.

Eadem ratione ac tertiam Arnobius quartam quoque aliasque deinceps clausulas adhibet.

Exempli causa profero:

1. Clausula quarta (–́ ⏓ –̀ –́ ⏓ –́ ⏑ ~)[1]:
   6, 26: *pestibus instruemini,*
   16, 8: *derisui caerimoniae,*
   28, 14: *maior et comprobatio,*
   57, 17: *dedistis circumscriptoribus locum,*
   77, 3: *sentiens multitudini,*
   83, 23: *dissimulatione permiserit prius.*
2. Clausula quinta (–́ ⏑ –̀ ´ ⏑ ´ ⏑ –́ ~):
   3, 10: *dissolvere criminationes,*
   5, 6: *procreant liberorum stirpes,*
   5, 18: *religio Christiana͡ intulit se mundo,*
   51, 26: *litibus constitutiones,*
   69, 18: *amittit repetentiam priorum,*
   79, 13: *exsugerent fellitantes mammas.*
3. Clausula sexta (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –́ ⏓ –́ ⏑ ~):
   50, 4: *ipse quae pollicetur non probat.*
4. Clausula septima (´ ⏑ –̀ ´ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ ´ ~):
   9, 7: *variorum discriminum necessitates,*
   205, 17: *alias atquĕ intellegentias vocare.*
5. Clausula nona:
   264, 9: *veritatis examinatione ponderata.*
6. Clausula tertia decima:
   135, 6: *luna sol tellus aether astra membra sunt et mundo partes.*

Sed haec hactenus.

[1]) Cf. V. Muench, de clausulis a Valerio Maximo adhibitis. Diss. Vrat. 1909. p. 18.

§ 5.

De clausulis quibusdam raris.

In clausulis modo pertractatis certam vidimus seriem ordinemque syllabarum longarum et brevium observavisse Arnobium, sed complures sunt loci, qui quamquam sine dubio numerosi sunt, tamen in hanc rationem clausulas faciendi non cadunt. Interdum enim auctor noster sententias concludit hunc in modum:

27, 27: *pulvinaribus honoratis* (cf. 142, 15); 123, 3: *consecrationibus honorare;* 179, 4: *silvestribus honorari;* 180, 14: *antistibus honorasse;* 215, 26: *constructionibus honoramus;* 164, 17: *desideria voluptatum;* 251, 30: *adfluere voluptates;* 84, 26: *destruentia potestatum;* 158, 14: *eminentia potestatum;* 241, 27: *sollemnia celebrari;* 255, 28: *sollemnia ministrari;* 113, 2: *convenit adoramus;* 113, 10: *cum principibus adoramus;* 245, 17: *supplicationibus adorari;* 8, 3: *antiquitatibus inaudita;* 114, 9: *opinionis et nominis inauditi;* 32, 11: *vincula relaxasse;* 76, 26: *debeat et occasum;* 130, 7: *sanguinis inardescit;* 145, 16: *posterganeus habebatur;* 146, 25: *ducitis et optatis;* 194, 6: *appetitionibus adhinnivit* aliaque.

Eandem apud Valerium Maximum difficultatem ut persolveret, V. Muench Skutschio auctore eam iniit viam, ut has clausulas neglecto accentu ad quantitatem solam esse structas censeret easque hoc modo percuteret: *silvestrĭ́bŭs hòno̍rárī, desidérĭ̆a vòluptā́tūm, adflúĕrĕ vòluptatès, nomìnìs ìnaudítī.*

Illius viri doctissimi sententiam etiamsi sequor, tamen neque ignoro longe me ab accentu solito recedere, praesertim cum Arnobius verba in *atibus* et *onibus* desinentia ad clausulas formandas usitatas adamat, neque prorsus negaverim nonnulla ex his fortasse esse vestigia illius cursus velocis, quem servato accentu inde a quinto saeculo p. Chr. n. valuisse inter omnes constat (cf. Meyer, l. c. 261 ff.).

Clausula vero heroica, quam ubi fieri potuit ab Arnobio evitatam esse e mutata verborum collocatione elucet velut hoc loco 9, 2: '*possum dicere*', nobis occurrit (— ∪ ∪ — ⏑̲): 15, 3: *fetibus multiplicare;* 130, 13: *saltibus praecipitati;* 23, 16: *fulmine praecipitatus;* 280, 22: *serpentem nominitamus.*

Caput II.

De pronuntiatione et de mensura syllabarum.

Quoniam apud scriptorem nostrum vidimus fines sententiarum atque membrorum certis esse subiectos legibus rhythmicis, ex iis aeque ac versibus poetarum, ut gravissimas res de pronuntiatione sermonis saeculi tertii vel quarti p. Chr. n. concludamus fieri potest. Iam Wolff[1]) in libello illo de clausulis Ciceronianis scripto accuratius in hanc rem inquisivit; cuius rationes sequor. Primum sermo erit de synaloepha.

§ 6.

De synaloepha[2]).

Qua in re quam viam Arnobius ingressus sit, considerans W. Meyer[3]) ad hanc sententiam pervenit non esse statuendam apud illum synaloepham. Accurate autem atque attente perscrutanti non pauca occurrunt exempla, ubi illa collisione omissa rhythmus non efficitur. Huc pertinent hae compositiones verborum:

13, 19: *animante culpabile est;* 92, 18: *vero conlibitum dicere est;* 93, 10: *vero sententia est;* 129, 17: *militaris insaniae est;* 157, 26: *concretus et femina est;* 175, 19: *stultissimum credere est;* 186, 2: *flagitiosa dilectio est;* 215, 29: *plena dementia est;* 221, 25: *figurationibus femina est;* 235, 5: *civitatibus maxima est.*

Omnia haec exempla luculenter docent 'est' voculam in clausulis extremis quae desinunt in creticum, semper cum verbis antecedentibus per synaloepham esse coniungendam.

Ei quoque loci mea quidem sententia huc trahendi sunt, in quibus dummodo collisionem statuas, clausulam primam habes pro secunda, quippe quam Arnobius praeferat.

9, 3: *elementa digesta est;* 13, 6: *nomen in causa est;* 16, 7: *raritas summa est;* 27, 2: *concrematus in fano est;* 27, 7: *expulsus e vita est;* 79, 4: *aetas angusta est;* 91, 19: *necessitas nulla est;* 109, 5: *esse monstrata est;* 185, 1: *radice complexa est;* 201, 10: *tota claudenda est.*

Sed conferas velim, quae in paragrapho octava exponam de vocalium hiatu.

[1]) l. c. pp. 645sqq.
[2]) Synaloepham voco eum vocalium concursum, qui fit ante voculas: es, est.
[3]) l. c. pp. 258.

Meliorem et usitatiorem clausulam fieri synaloepha admissa his quoque locis demonstratur:

91, 6: *respondeamus necesse est;* 116, 24: *eius generis masculini est* (cf. 116, 21: *genere masculino;* 185, 19: *infestissimam masculino);* 117, 23: *officia constituta est;* 127, 23: *illius regimine constituta est.*

Omnia exempla allata si inter se comparamus, omnium invenimus esse commune copulam '*est*' in fine membrorum rhythmicorum per synaloepham cum praecedenti voce in litteram vocalem cadenti conectendam esse.

Aliter res se habet si copula illa posita est mediis in verbis quae segregari non possunt. His enim locis collisione statuta clausula fit aut nulla aut pessima. Accedit quod persaepe et analogia et vocum collocatione mutata synaloepha non uti cogimur[1]. Cuius rei documento mihi sunt haec exempla:

4, 14: *signorum coeptă est inclinatio;* 5, 10: *attribută est talium;* 18, 1: *totius summă est actionis;* 89, 7: *elementis ipsis causă est illis;* 180, 25: *deum procreată est mater.*

Praeterea: 38, 27. 116, 28. 143, 8. 253, 15.

Conferendi causa huiusmodi verborum conexiones addo:

28, 23: *furatus est disciplinas;* 47, 17: *insidiatus est matrimoniis;* 109, 6: *emissus est sospitator.*

§ 7.

De elisione.

In hac paragrapho non supervacaneum erit de vocalium concursu disputare idque ita, ut non eos tantum locos, quorum numeros elisione omissa everteres, enumerem, sed eos quoque, quorum numeri, nisi eliseris, multo peiores fient. Iam sequantur exempla:

A.

Breves vocales eliduntur:

a) littera ă.

in clausula tertia:

130, 8: *virginum suarum vota in se vertunt;* 243, 3: *immortales placamenta ista sumunt.*

b) littera ĕ.

in clausula prima:

85, 17: *esse opus regis;* 241, 13: *esse ab his longe.*

[1] cf. K. Ziegler, Iuli Firmici Materni v. c. de errore profanarum religionum. Lpzg. 1907. praef. XXIX adn. 2.

in clausula secunda:

5, 26: *non esse incognita, non repentinas* (ita legere velim pro '*essĕ incognĭta*', quod et '*non*' vocula sonum logicum habet et '*nōn rĕpentinās*' sequitur): 26, 4: *ante oculos non videre;* 50, 2: *esse apud vos liquet;* 90, 2: *stulte istud credimus;* 92, 29: *nonnulli esse abnegant;* 234, 8: *fulminator tempore illo fuit.*

in clausula tertia:

14, 18: *verum est ardere illos ira;* 135, 24: *incalescere irarum flammas;* 204, 8: *cognitum vel unde intimatum;* 212, 7: *esse allegorico scriptas.*

B.

Longae vocales detrahendae sunt.

a) littera ā.

124, 4: *tanta in re possumus;* 215, 1: *liberos non ira effervere.*

b) littera ē.

16, 1: *irreligiose opinata.*

c) littera ī.

58, 16: *saluti id est ipsis nobis;* 135, 18: *rabie concitati ignes;* 252, 28: *opinationibus comprobari inveniri.*

§ 8.

De hiatu.

Ex iis quae modo exposui cum longas vocales aeque ac breves detrahi posse viderimus, tamen pro elisione etiam hiatus admitti videtur. Hoc inde concludo, quod hiatu non adhibito interdum multo peiores numeri evadunt.

A.

Vocalium longarum.

a) ā corripitur.

247, 13: *contră ipsos sĕ ipsi.*

b) ī.

in clausula prima:

115, 1: *scirĭ est facile;* 117, 19: *verĭ est simile;* 120, 16: *rotunditate collī erectum.*

in clausula secunda:

92, 29: *nonnullĭ esse abnegant;* 99, 15: *veniendĭ ad se facit.*

c) ō.

in clausula secunda:

131, 9: *ab Ianō et nos patre;* 231, 6: *unus unō in tempore.*

in clausula tertia:

57, 10: *Christō evanuisse.*

d) ū.

in clausula prima:

184, 10: *ebrietas potū emersit.*

His exemplis adicere liceat aliud, in quo 'ae' dipthongus non aliter ac simplices vocales longae corripienda est:

226, 20: *fabricatāe abs te rei.*

B.

Brevium.

Non solum longae vocales ante voces a vocalibus litteris ordientes non eliduntur, sed hac libertate utuntur etiam breves. Quod ut statuamus adducor et ipsa verborum collocatione insolita et eo quod elisione facta rhythmus non fit. Ibi quoque huic licentiae indulgeri velim, ubi peior clausula tolli possit. Denique eandam viam apud copulam '*esse*' ineundam esse docui.

Exempli causa profero:

55, 11: *nihil nihilquĕ impediant;* 143, 17: *ipsa essĕ occepit* (cf. 8, 13: *animantis occepit);* 202, 16: *appetitos essĕ inceste;* 247, 8: *iterum necessĕ est credi.*

in clausula secunda:

63, 24: *necessitate ac temporum;* 205, 26: *comprehensaequĕ isto faces;* 246, 2: *semper essĕ in luctibus.*

in clausula tertia:

91, 22: *ignorarĕ istud vel scire.*

§ 9.

De littera 'm'.

Qua ratione illa littera consonans pronuntianda esset, iam permultum est disputatum. Veteres poetae Romani cum 'm' elidere voluerint, Quintilianus IX, 4, 39 hoc scripsit: '*Etiamsi 'm' scribitur, tamen parvum exprimitur, adeo ut paene cuiusdam novae litterae sonum reddat, neque eximitur, sed obscuratur et tantum aliquid inter duas vocales velut nota est, ne ipsae coeant.*' De usu autem Arnobiano erui iisdem fere legibus 'm' consonantem subiectam esse quibus vocales cadentes. Primum agatur de synaloepha.

a) de synaloepha.

1) ʿmʾ in fine clausularum.

Hic atque illic Arnobius sententias concludit hunc in modum: 31, 19: *facta gestorum est;* 72, 25: *dissolutionis amotum est;* 132, 22: *Minervae formatum est;* 218, 21: *civitati subiectum est;* 241, 6: *ratione monstratum est.*

Quibus locis perspectis iure dubitari potest, utrum numerus primus an secundus sit legendus, nam uterque in Arnobii libro satis saepe invenitur.

Falsa autem est sine dubio synaloepha his locis:

33, 16: *repulsus ab hoc quicquăm est;* 129, 18: *conditor illorŭm est;* choriambus enim cum sequenti trochaeo clausulam praebet malam.

2) ʿmʾ media in clausula.

Neque hic negari potest nos saepius eversuros esse bonum rhythmum, si synaloepham constitueremus.

En exempla:

26, 5: *transgressŭm est munere;* 87, 9: *existimandŭm est mominis;* 96, 12: *liquidissimŭm est non posse;* 97, 10: *ignorare detrimentŭm est ullum;* 113, 1: *colendŭm est colimus;* 152, 15: *adpetitŏrem est quinta;* 163, 23: *vestris cautŭm est litteris;* 199, 10: *obscurŭm est forsitan;* 215, 10: *magnarŭm est mentium;* 237, 11: *decursŭm est sanctiones.*

Collisio autem flagitatur loco 7, 22: *effectum͡ est iniurĭā.*

Iam transeamus ad ʿmʾ consonantis

b) elisionem.

Hic quoque sunt loci, quibus ambigere possumus, sitne statuenda elisio necne. Sed Wolffium sequor, qui certissime demonstrasse mihi videtur pro re nata esse elidendum. Exempla, quae elisionem postulant, sunt haec:

ad clausulam primam formandam:

110, 13: *promissum ad hanc vitam;* 245, 5: *e manibus opinionem istam.*

ad clausulam secundam formandam:

3, 11: *magnum aliquid dicere;* 30, 7: *centum aut hoc amplius;* 112, 12: *nullum habeat vindicem.*

ad clausulam tertiam formandam:

9, 28: *esse tranquillitatem illam mundi;* 155, 13: *in ceteris eandem esse scire;* 161, 4: *fulminis transfixum esse telo.*

Econtra talia quoque exempla oculis subicere nobis proposuimus quibus nisi elisione omissa neque bonam clausulam neque omnino ullam adipiscimur.

Quae sunt:

in clausula prima:

20, 29: *locus rerŭm ac spatium;* 85, 2: *rem infelicĕm et miseram;* 92, 17: *esse natum et genitum;* 112, 23: *pater rerŭm ac dominus;* 140, 3: *cui supplicet quem imploret;* 181, 19: *consulatŭm et Pansae;* 242, 5: *sacrificiōrum oggeritur.*

Hic animadvertendum est 'm' litteram imprimis conservari, si syllaba longa trochaei desinentis est dissoluta.

in clausula secunda:

36, 13: *praestigiosum aut subdolum;* 120, 17: *inligatum ac pectori;* 129, 25: *condicionem imponere;* 137, 25: *condicionum et munerum;* 157, 6: *domino rerum ac principe;* 159, 23: *meritorum ac pessime;* 198, 15: *miseriarum insignia* (cf. 214, 2: *summatim ostendimus*).

in clausula tertia:

6, 18: *sterilitatem indicunt terris;* 120, 6: *naturām omnem dīvīnām;* 207, 2: *uniformiter dictŭm existimari;* 275, 3: *sollicitiōrēm ādhĭbĭtām cūrām.*

3) de 'm' littera abicienda[1]).

Abici posse 'm' litteram finientem ante consonantem hi loci evincere videntur:

131, 11: *accipiemus ut veru(m) sit;* 195, 27: *virgine(m) secum vehit;* 206, 25: *contrariisque prolatu(m) sit.*

§ 10.

De littera 'h'.

J. Wolff in libro supra allato comprobare conatus est litteram 'h' Ciceronis aetate nondum spirantem fuisse. Etiam apud Arnobium exitus periodorum aut membrorum reperimus, in quibus 'h' adeo non elisioni obstet, ut vocales praecedentes et 'm' consonantem non raro detrahi opus sit;

igitur contractio statuenda est:

80, 25: *numquam habuissent amorem;* 89, 10: *tellūrēm ĕsse horum matrem;* 112, 12: *nullum habeat vindicem.*

[1]) Ziegler, l. c. XXVI. Cf. etiam V. Muench, l. c. p. 22. adn. 1.

Econtra contractio omittenda est:

6, 1: *miseriarum haec nomina;* 51, 6: *adsumi has mentes;* 73, 20: *est purgari hac animas;* 83, 15: *accessurum his esse;* 146, 3: *adfectusque hoc nomine;* 240, 2: *sacrorum haec ratio;* 243, 15: *sumat eloquaturque his verbis.*

§ 11.

De verborum finibus corripiendis.

Quibus expositis dicendum est de vocalibus quibusdam longis, quae quamquam vocales aut 'h' littera non insequuntur, tamen numeri gratia corripiendae sunt. Hoc tantum modo multis locis rhythmus evadit saepiusque clausula efficitur bona. Quod ex his exemplis cognoscas:

'ā' finiens corripitur:

in ablativo singulari:

75, 15: *credulitate in ista videamur;* 90, 1: *corruptione exclusa largiri;* 113, 24: *de re loquimur divina vobiscum;* 116, 24: *religione in vestra non quitis* (cf. 182, 18: *fraude non quivit*).

'ī' finiens corripitur.

1) in nominativo plurali II. declinationis:

27, 9: *experti sunt formas;* 119, 8: *porcique formati sunt;* 130, 18: *di procul amoti sunt;* 156, 22: *commentati sunt fuerint;* 215, 15: *mortalitatis adstricti sunt;* 250, 23: *benignitate dignati sunt.* Dicreticum igitur habes hoc loco 246, 8: *dicendi sunt caelites.*

2) in dativo singulari III. declinationis:

14, 5: *corruptioni iam locus est;* 124, 21: *frugi sapientem* (si '*frugi*' dativum esse volo, facio cum Corssen, über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache, Lpzg. 1870² S. 729; cf. etiam 89, 19: *sancteque sapientem;* 132, 4: *dictitavere sapientes*); 182, 25: *inferenti vim filio.*

3) in genetivo singulari II. declinationis:

179, 9: *adulescentuli fatum sciens.*

4) in infinitivo praesentis passivi:

119, 12: *ulcisci se possint;* 121, 23: *opinari nos falso;* 123, 10: *non rideri, si rident;* 242, 14: *consectari quid fugere;* 244, 22: *me occidi me caedi;* 245, 2: *audiri vel credi.*

Dicretica igitur est clausula 269, 30: *perturbari vos numina.*

'ō' finiens corripitur:

50, 9: *omnino quod nullas;* 88, 19: *aliquando vidisse;* 89, 7: *origo nascendi;* 92, 27: *omnibus praesto sunt;* 134, 15: *Apollo germana;* 185, 6: *idcirco vinosa;* 244, 31: *tristitias vero propellant.*

Dicretico cum rhythmo legere malo 242, 12: *aliquando mortalibus;* 243, 11: *multitudo peccantium;* 249, 2: *homo vero sublimior.*

'ae' finiens corripitur:

103, 26: *cum hominibus natae sunt;* 106, 24: *auctoritate munitae sunt;* 249, 29: *arae istae quas dicitis;* 266, 1: *audiendae sunt neniae.*

'es' finiens corripitur:

243, 2: *panes accipiunt.*

'is' finiens corripitur:

8, 27: *nobis ostenderem;* 28, 5: *profecta in nobis sunt* (hoc loco 's' finalis abicienda est)[1]; 245, 27: *exstinctis luminibus.*

§ 12.

De '*i*' vocali geminata.

Nunc quaestio erit de vocibus in '*ii*' et '*iis*' desinentibus. Hunc enim concursum vocalium apud scriptorem nostrum quoque aliquot locis in unam syllabam contrahendum esse puto, cum praesertim codex non raro habeat formam contractam.

Creberrime contractio flagitatur in voce 'deus' pronuntianda. Ex numero exemplorum quibus ea res confirmatur, afferam:

18, 28: *indignationis in dis est;* 117, 13: *plena esse dis omnia;* 122, 21: *inesse dis forma;* 125, 24: *imminentia di nesciunt;* 130, 26: *verissime di sunt;* 130, 28: *dubitatione di non sunt;* 135, 23: *humanas ab dis premi;* 173, 2: *immortalibus dis probra;* 216, 1: *datoribus dis dare;* 240, 13: *esse di liberi.*

Praeterea 137, 23. 145, 24. 157, 14. 163, 16. 168, 3. 230, 13. 244, 28. 245, 21. 246, 5.

Disyllabam esse 'deus' vocem contendo his locis:

103, 8: *concremarentur diis exta;* 116, 26: *dare vos diis sexum;* 128, 8: *supplicat diis nemo;* 198, 10: *rapiunt dii vestri;* 237, 21: *minime sacrificamus diis.*

Similem in modum iudicare debemus de vocibus paucis in quibus 'i' littera praecedit non 'i' vocalem, sed 'a' et 'o' et 'e'.

[1]) Aliud exemplum 's' finalis abiectae exstat 246, 23: *unus sed locuples.*

Hic quoque ‘i’ littera syllabae vim amittere mihi videtur. Cuius rei haec sunt exempla:

8, 10: *manus et conscientjam cruore;* 76, 4: *auditum ēx pŏtēntjōrē crēdĭdīssē;* 133, 27: *animantja diffusae;* 154, 25: *intellegentja causarum;* 254, 5: *retinentja candores;* 274, 16: *animadversione punjendus.*

Cum enim choriambus in clausula prima rarissime inveniatur, haud scio an ‘i’ littera ante vocalem posita in consonantem duranda sit. Similiter de reliquis iudico.

§ 13.
De ‘*qu*’ consonanti[1].

Iam sequantur pauca de ‘qu’ consonanti. Haec cum numquam fere positionem efficiat, tamen rhythmo paucis locis libri Arnobiani id statuere cogimur, velut:

29, 30: *penetrabilis ille vitabat liquor* (cf. Lucr. 1, 453); 167, 20: *maiestatibus loqueretur;* 177, 20: *obtinere nequisset;* 233, 2: *simulacraque tutari.* Ex horum analogia iudico de his locis: 34, 3: *beneficiaque largitum;* 66, 17: *taurus equus aut aries;* 166, 9: *dissita distantiaque natura.* Aliter statuendum est de hoc loco 86, 10: *consērvārĕ nĕquĕuntēs.*

§ 14.
De vocula ‘*nihil*’.

Arnobii usum in hac voce pronuntianda si consideramus, non certam esse prosodiam reperimus. Primum eos locos adnotabo, quibus ‘nil’ forma desideratur, tum quibus disyllaba pronuntiatio necessaria est.

1) ‘*nil*’ esse pronuntiandum hinc apparet:

12, 20, 26: *tempore hōrūm nihil nātŭm est;* 26, 4: *habere nihil scire;* 46, 15: *indicĕrĕ nihil dē tē mĕrĭtō;* 120, 1: *nihil ad nos attinent;* 164, 18: *divinŭm nihil īstīc ēssĕ.*

2) ‘*nihil*’ disyllaba voce usus esse videtur Arnobius his locis:

8, 23: *huic necessariām nĭhīl cāusāē;* 109, 8: *nihil praematurum ēst nĭhīl tārdŭm.*

§ 15.
De ‘mutis cum liquidis’.

Deinde non alienum esse puto cognoscere, quam vim positionis faciendae habeant litterae mutae cum liquidis coniunctae. Efficere eas positionem ad clausulam concipiendam, ex his apparet:

---

[1]) Fr. Hanke, de Apuleio libri qui inscribitur περὶ ἑρμηνείας auctore. Vrat. 1909. p. 30. adn. 1.

1) sacer, sacrare:

81, 13: *hilaritate sacrarent;* 191, 5: *insinuaturque sacratis;* 225, 16: *simulacrumque sacrare.*

Alia 232, 27. 239, 12. 251, 18. 25. 264, 26.

2) fabricare:

21, 17: *impetu fabricari;* 26, 11: *ex malleis fabricatos;* 220, 10: *opinationibus fabricata.*

3) latro:

43, 1: *interempta latronibus;* 43, 25: *durissimisque latronibus,* 231; 27: *noctūrnŭs īrrēpăt lātrō.*

4) locuples:

186, 3: *muneribus locupletans;* 246, 29: *commodent locupleti.*

5) sequuntur singula:

29, 21: *valetudines morbi febres;* 36, 25: *involutus est tenebrarum;* 63, 10: *geometricas formulas;* 185, 23: *fugiendumque caprinus;* 228, 20: *decolorata nigrescant;* 246, 1: *emendicare supremas.*

§ 16.

De syllabarum mensura observationes reliquae.

Restant pauci loci qui in numeros legitimos quadrare non videntur, nisi nonnullarum statuimus syllabarum quantitatem esse mutatam.

1) Ut enim vocem '*nihil*' ab Arnobio in 'nil' contrahi cognovimus, ita alibi contractio quaedam adhibenda est. Intellego hos locos:

35, 14: *fragilīssīmae' rĕī donarĕ;* 277, 5: *īpsă quam' deincèps ponăm.*

2) Saepius nulla re alia nisi productione clausulam dactylicam, quam raro auctor noster admisit, evitamus:

a) 133, 24: *esse Proserpinam* (cf. 195, 24: *virago Proserpina*),

b) 143, 25: *teli traiectione Palatium*[1]),

c) 209, 24: *significare madorem* (e contrario 174, 6: *iniecisse madidatis vincla*).

3) Eadem ratione productionem postulant haec exempla:

35, 7: *licentia proficisci;* 83, 22: *quod oportuerat prohiberi;* 96, 25: *atque animo proficisci;* (repugnare puto locum 156, 29: *generis humilitate proficiscens*)[2]).

[1]) Hosius, de nominum prop. apud poetas Latinos usu et prosodia. Jahrb. f. Phil. 1895 p. 101.

[2]) Bednara, Arch. f. Lex. XIV, 331, L. Mueller, d. r. p. 363.

4) Similiter fluctuat prosodia in voce 'vinculum' ita, ut et 'vinclum' et 'vinculum' legendum sit. Exempla invenies:

174, 6: *coniecisse madidatis vincla;* 240, 29: *vincli consortia rupērimus;* 73, 27: *fueris vinculis exsolutus;* 97, 17: *a corporalibus vinculis exsolutus*[1]).

5) Iam nostrum erit demonstrare vocalem 'i', quae in paenultima syllaba primae et alterius personae coniunctivi perfecti activi et indicativi futuri II activi posita est, ab Arnobio produci. Haec exempla collegi:

53, 13: *veri aliquid dixerimus;* 139, 14: *varietatibus prompseritis;* 149, 11: *provideant dixeritis.*

6) Caput ad pronuntiationem et ad mensuram syllabarum pertinens priusquam concludam, operae pretium est haec exempla proferre:

35, 27: *animasque reducere;* 82, 20: *nihil pati renuentes;* 150, 19: *rei novitate renuitis;* 209, 20: *ulla potest reperiri;* 260, 4: *mentio reperitur.*

Quae si ita, ut Reifferscheid litteris expressit, legimus, numerose non desinunt, quamquam sunt in fine membrorum vel commatum. Quam ob rem 'redducere' et 'rennuere' et 'repperire' scripturas in textum recipere malo. Id si defendere audeo, facio cum multis viris doctis ut Zielinski, Skutsch[2]), Paulo de Winterfeld[3]). Accedit quod codex olim Romanus nunc Parisinus illas litteras consonantes et 'd' et 'n' et 'p' aliquot quidem locis duplicatas tradit (cf. Reiff. in praef. XV: 'sic semper hoc in verbo [scil. reperire] *p* geminatur'). Praeterea in voce 'reperire' etiam inscriptiones Latinae 'p' duplicatam habent in formis omnibus[4]). Denique memoria dignum est, quod Priscianus II, 1. 6 geminationem 'd' litterae consonantis suadet, dissuadet Velius Longus VII, 66. 3 f. Haec fusius disputantur a Schobero[5]).

---

1) Rhythmi causa Arnobius item promiscue exhibet 'virago' et 'virgo';
'virago' invenitur: 195, 24: *virago Proserpina,* 207, 6: *Proserpina lectitabat virago,* 207, 8: *quid Proserpina quid virago.*
'virgo' reperitur: 195, 27: *virgine(m) secum vehit,* 165, 19: *virginis et Dianae.*

2) Skutsch, Philol. n. s. XV p. 194 sqq.

3) Winterfeld, Philol. XV p. 624.

4) Cf. CIL IX, 1563. V. 532, 2. 14.

5) Schober, de Apulei Metamorphoseon compositione numerosa. Hall. 1904. p. 46 adn. 7.

Caput III.

Quo modo Arnobius clausulas efficere studuerit.

Capite tertio paucis de nonnullis instrumentis vel adiumentis ad clausulas formandas ab Arnobio adhibitis disseram. Mira quadam verborum collocatione excepta, quam postea persequemur, iisdem fere artificiis usus est ille atque Cicero, de quo accurate exposuit J. Wolff[1]).

§ 17.

De particula 'que'.

Atque imprimis 'que' particulam scriptor noster ad efficiendum primum clausulae trochaeum adamat. Permagno autem ex numero huius generis exemplorum satis habeo ea attulisse, in quibus voculam 'que' ad verba plus trium syllabarum adiunctam invenimus. Habes igitur

1) voces quattuor syllabarum

4, 7: *appellaturque natura;* 73, 8: *praetermissisque natura;* 81, 11: *voluptatemque sessorum;* 95, 14: *perniciesque nascentia;* 206, 25: *contrariisque prolatum sit;* 262, 2: *adficiantque naturas.*

2) voces quinque syllabarum

5, 8: *disciplinarumque rationes;* 14, 20: *experianturque virtutes;* 20, 3: *possessionemque retinere;* 32, 2: *valetudinesque curasse;* 35, 10: *potentatuique conveniens;* 103, 6: *religionemque mutastis;* 132, 26: *cognominatusque Neptunus;* 133, 10: *commerciorumque mutatur;* 151, 18: *commemoratumque depromere;* 169, 26: *contumeliisque divinis;* 191, 5: *insinuaturque sacratis;* 231, 29: *alimoniamque praebetis.*

3) voces sex syllabarum:

32, 31: *incolumitatemque praestare;* 37, 14: *convexionibusque dimotae.*

§ 18.

De voculis 'ac', 'atque'; 'nec', 'neque'.

Qua ratione voculae 'ac, atque' et 'nec, neque' ab Arnobio usurpatae sint, brevi sermone hac paragrapho perstringamus. Skutschii[2]) quaestionibus inter omnes constat in prisca latinitate

[1]) Wolff, l. c. 633 sqq. cf. etiam Ziegler, l. c. XXVII.
[2]) Skutsch, Forschgg. I. p. 52/53.

'atque' nisi primitus ante vocales non collocari. Neque auctor noster umquam ab hac regula recessit nisi illis locis quibus 'atque' forma ante consonantem posita ad clausulam fingendam apta erat, id quod videmus plus vicies fieri. Pauca illa, quae huic normae obstant, aut librarii puto esse menda aut 'ac' pronuntiandum esse pro 'atque'. Hoc statuere non vereor, quia poetas scaenicos Latinos 'atque' ipsum non numquam scribentes retinuisse scimus, etiamsi 'ac' pronuntiabant.

'Ac' autem nusquam in libro Arnobii ante vocales scriptum est, sed semper 'atque'. E contra 'nec' ante vocalem pro 'neque' ponere ille non dubitavit, immo sexagies fere formam breviorem ante vocalem collocat, 'neque' ante consonantem non minus saepe.

Postremo dignum est memoratu 'atque' particulam non raro in rhythmo hiatum efficere, velut:

40, 17: *habentibus atque aegris;* 80, 29: *nominis atque usus;* 142, 19: *nobis atque eripitis sensum;* 193, 7: *inferioribus partibus atque imis;* 236, 19: *promptu atque ingentes.*

§ 19.

De verbi formis imminutis.

Iam transeo ad verborum formas imminutas, quibus saepius est usus Arnobius, ut bonas clausulas fingeret.

A.

Syncopa enim occurrit:

1) in indicativo perfecti activi:

71, 5: *corporibus factitarunt;* 169, 11: *esse decrestis;* 171, 21: *obscenitate foedastis;* 179, 20: *discriminum concitasti;* 221, 23: *liniamenta donastis;* 224, 27: *Thespiaca scriptitarunt.*

Alia 55, 10. 101, 21. 102, 13. 103, 13. 154, 4. 185, 7. 186, 14. 243, 21. 283, 12.

2) in coniunctivo perfecti activi:

18, 25: *ipsis dominis supplicarit;* 144, 8: *suffragium commodarit;* 155, 26: *theologi scriptitarint;* 187, 15: *adsensione firmarit.* Praeterea 65, 10. 89, 16. 95, 1.

3) in indicativo plusquamperf. activi:

114, 20: *cognitione noratis.*

4) in futuro exacto:

140, 18: *Laribus invocaro;* 242, 27: *altaribus concremaro.*

5) in infinitivo perfecti activi:

32, 2: *valetudinesque curasse;* 32, 11: *vincula relaxasse;* 49, 28: *imprudentiam vindicasse;* 161, 1: *Lycaoniam pransitasse;* 173, 20: *mulsoque complesse.*

Alia 57, 14. 162, 18. 173, 16. 180, 14. 202. 13. 203, 14. 235, 6. 271, 11.

Quas formas consilio atque studio illum rhythmi gratia adhibuisse e nulla re clarius apparet quam inde quod integras quoque formas eiusdem numeri causa usurpavit alio sane modo, praecipue ut priorem creticum expleret. Ex hoc genere sunt:

83,21: *obtemperaverint iussioni;* 97, 7: *excogitaverit causas;* 101, 27: *repudiaverint arbuta;* 102, 1: *adamaverint casulas;* 156, 16: *informaverit natio* (cf. 25, 21: *fīnxĕrĭt hŏmĭnēm quīs īnformārĭt*); 230, 5: *postulaverit maximas;* 279, 15: *postulaverit sistitur.*

Loco 191, 9 scriptum est eadem in enumeratione:
*advol**arit** ad prandium — praecipit**averit** sedes.*

B.

Deinde non ita raro fit, ut Arnobius de more poetarum in indicativo perfecti activi pro 'runt' syllaba longa substituat 're' brevem. Quae res ut exemplis comprobetur, liceat mihi enumerare hos locos:

7, 1: *habuere securas;* 28, 28: *fuere per saecula;* 34, 17: *iussere per tramites;* 85, 14: *usurpavere mortalium;* 204, 9: *scriptores advocavere vos;* 234, 6: *indicavere caecorum;* 280, 18: *historiae prodidere omnes.*

Quamquam integrae quoque formae in numeris Arnobianis reperiuntur. Hoc modo hiatum evitare illum studuisse luculenter hi loci demonstrant:

6, 9: *fuerunt expertia;* 34, 16: *statuerunt errantes aquas* (aut ´– – ≐ ´– ⏗ ´⏑ ~ aut ´– – – ` ´ ⏑ ≐); 39, 2: *concinnaverunt in fabulis;* 150, 26: *viderunt et cognoverunt;* 176, 2: *fuerunt haec omnia.*

Loco 104, 26: '*esse coeperunt certo*' propterea 'coeperunt' scriptum esse puto, quod forma 'coepere' clausulam non iuvabat; fortasse Arnobius forma 'coeperunt' pro cretico usus est.

§ 20.

De verbis intensivis et frequentativis.

Pauca mihi addenda esse existimo de verbis frequentativis et intensivis; quae pro simplicibus numeri gratia scriptor noster videtur collocavisse.

Quae verba a Cicerone et a Caesare non nisi necessario adhibita a scriptoribus vergentis ut ita dicam latinitatis saepissime usurpari, inter omnes constat. Sed cum Woelfflinio[1]) iudicante Arnobium studio tantum scriptores priscae latinitatis, imprimis Lucretium imitandi commotum esse, ut illa verba pro simplicibus collocaret, consentire non possum. Mea quidem sententia rhythmus his quoque locis magnam vim habuit.

En exempla:

6, 7: *maiorum in temporibus factitatas;* 14, 13: *labefactare cultores;* 17, 8: *laniatibus obiectatis;* 17, 22: *in precibus noscitare;* 121, 17: *proprietatibus noscitare;* 143, 3: *oppositionibus noscitare;* 155, 26: *theologi scriptitarint;* 207, 10: *quadriiugo vectitatus;* 224, 27: *Thespiaca scriptitarunt;* 229, 25: *coercitione latitare;* 235, 13: *radiationibus territaret;* 247, 31: *potentias auctitare;* 248, 2: *conscribere aliquid et lectitare;* 267, 1: *Hercules actitatur;* 268, 22: *agitare vindemias;* 272, 25: *formidine territatum;* 276, 22: *territaret patrem.*

§ 21.

De vocum polysyndeto et asyndeto[2]).

Proprium autem Arnobii generis dicendi est illud, quod res atque actiones uno verbo exprimere non satis habet, sed saepissime duabus vocibus, sive inter se coniunctis sive non, in finibus membrorum ut numerosi fiant utitur. Cuius rei haec enotavi exempla:

70, 4: *mutatur et vertitur;* 10, 21: *congelare constringere;* 84, 24: *ordinaverit iusserit;* 156, 1: *refutare convincere;* 281, 27: *dilacerata vexata est.*

De aliis conferas Reifferscheidii editionis indicem verborum et locutionum pp. 347/348.

§ 22.

De adiectivorum usu Arnobiano.

Clausulae vim etiam ex eo intellegere mihi videor, quod Arnobius saepius et positivum cum superlativo et comparativo coniungit et superlativum et comparativum variat itaque quae verba Kroll[3]) eadem de re fecit, supplenda esse censeo:

[1]) Woelfflin, A. f. L. IV, 221.

[2]) Norden, de Minucii Felicis aetate et genere dicendi. Gryph. 1897. p. 34. P. Spindler, de Arnobii genere dicendi. Diss. Argentor. 1901. p. 37 sqq.

[3]) Kroll, Rhein. Mus. 52 (1897) p. 569 sqq.

„Die Vorliebe für die Verbindung von Positiv und Superlativ ist bedingt erstens durch die Abnutzung der Steigerungsgrade, die vulgär . . . . . ist, und aus der Vorliebe für barocke Inkoncinnität, welche bei den Afrikanern besonders hervortritt, aber nicht vulgär ist.“ Huc pertinent hi loci:

1) 14, 27: *adversas ac pessimas;* 15, 13: *tristissimis atque (!) laetis;* 60, 12: *mali simus et pessimi;* 78, 24: *immobiles atque invictissimos milites;* 81, 1: *avidum atque iniustissimum faenus;* 84, 20: *sapientissimus iustus;* 86, 14: *inculpatis atque emendatissimis moribus;* 91, 26: *quod dulce . . . laetitiaeque plenissimum;* 130, 12: *vastas atque altissimas (rupes iaciunt se passim);* 158, 20: *aureus et flagrantissimus natus est;* 159, 23: *bene meritorum ac pessime;* 162, 19: *immaculatus ille, castissimus atque purus;* 238, 10: *scaevus et difficillimus occupare;* 271, 31: *veram atque ad iustissimam quaestionem.*

2) 21, 21: *plebeia atque humiliora fateantur;* 88, 8: *uter magis videtur dignissimus;* 101, 26: *prioribus atque antiquissimis saeculis;* 255, 27: *malos ad libidinem promptiores.*

§ 23.

De infinitivis in ‘ier’ cadentibus.

Restat ut paucis de infinitivis praesentis passivi in ‘ier’ desinentibus disseram. Praeter formas enim solitas atque usitatas hae quoque nobis aliquot locis occurrunt. Cum vero plerisque ex exemplis non satis appareat, cur formas ipsas pleniores brevibus anteposuerit Arnobius, tamen bis rhythmo egregie favent. Habes enim 179, 25: *et coronarier pinos;* 210, 6: *convestirier dignitate.*

§ 24.

At priusquam huius de verborum formis atque generibus capitis finem faciam, nonnullas voces afferre mihi liceat quas in deliciis habet ille ad clausulas efficiendas. Sequantur haec:

1) natura.

10, 7: *ordinibusque naturae;* 15, 7: *retinere naturam;* 19, 19: *solubilesque natura;* 88, 12: *cuiusque natura.* Alia 30, 12. 92, 14. 164, 20. 174, 27. 208, 10. 209, 15. 222, 11. 229, 12. 231, 19. 244, 3. 256, 2. 5. 262, 16. 268. 7.

2) divinus.

125, 28: *habeaturque divinus;* 135, 14: *miscentibusque divini;* 142, 6: *habere divinam.* Alia 194, 17. 199, 1. 221, 14. 222, 21. 225, 14. 227, 2. 7. 237. 23. 257, 11. 258, 12. 259, 26. 270, 26. 274, 13. 285, 3.

3) humanus.

93, 29: *propellat humanis;* 96, 14: *intendat humana.* Alia 130, 2. 17. 131, 8. 181, 14. 182, 24. 184, 20. 214, 22. 222, 19. 225, 26. 264, 26.

4) nuncupare.

137, 21: *existimat nuncupari;* 138, 2: *Novensilium nuncupari.* Alia 133, 19. 138, 3. 139, 6. 185, 18. 220, 7. 221, 1. 225, 15. 258, 2. 12.

Sine locis nomino: Christianus, mortalis, mactari, procreatus, constitutus.

Caput IV.

De verborum collocatione ab Arnobio numeri gratia mutata.

Iam hac commentatione occasionem datam puto aliquid addendi de libera qualis ab Arnobio adhibeatur collocatione verborum. Quisquis enim pauca tantum capita libri ‘adversus gentes’ scripti legerit, mirabitur quanta ille audacia usus sit in verbis ponendis. Tam violenter ut verborum consecutionem scriptor mutaret non solum poetas imitandi sed etiam numerose scribendi studio eum esse commotum ex iis quae sequentur cognitum iri spero.

§ 25.

De verbi regentis collocatione mutata.

Verbum regens cum in fine sententiae poni soleat, Arnobius saepissime alio loco collocare non dubitavit.

1) Verbum regens antecedit subiectum:

6, 1: *novit antiquitas;* 6, 28: *nutant usque ad periculum civitates;* 15, 10: *fieri testificentur res ipsae;* 21, 24: *averruncetur amentia;* 28, 3: *esset id verum;* 31, 12: *reperientur et ludi;* 110, 12: *auxiliatur deus;* 111, 16: *adprobat Arrianus;* 125, 29: *exegerit ratio;* 131, 10: *prodidere nonnulli;* 133, 5: *reciprocetur oratio;* 196, 15: *nuncupat Graecia;* 207, 26: *quae appellata est terra.*

2) verbum regens anteit obiectum:

6, 19: *sterilitatem indicunt terris;* 7, 25: *fecimus atque excitavimus causas;* 12, 16: *tribuere victoriam;* 102, 10: *mutare sententiam;* 108, 1: *fecimus mentionem;* 109, 17: *edidisse vagitum;* 159, 13; *restituebat ardorem.*

3) non raro etiam definitionem suam verbum regens antecedere solet. Haec res illustratur his locis:

4, 24: *coartatur in nubila*; 6, 9: *fuerunt expertia*; 7, 27: *praecipitavimus in furorem*; 8, 25: *in id sumpta est a me*; 9, 14: *nobis videtur adversum*; 11, 2: *ipse sis non tuus*; 13, 20: *scire adseveratur a vobis*; 13, 23: *iactentur ex ore*; 30, 16: *redire in corpora*.

4) infinitivus post verbum regens collocatus est in his exemplis:

4, 25: *tellus recusat accipere*; 10, 16: *audeas dicere*; 14, 3: *consentaneum est consequi*; 21, 23: *elaborabimus obtinere*; 21, 26: *velle cognoscere*; 24, 27: *constituatis esse damnabile*; 29, 5: *studere praenoscere* (cf. 32, 4: *audire desidero!*); 32, 21: *si volueritis attendere*; 45, 14: *deberetis odisse* (45, 16); 47, 14: *contendit impleri*; 90, 14: *intellegantur enasci*; 109, 24: *debuisset impleri*.

5) Eiusdem generis sunt ii loci quibus Arnobius verba 'que' particulae ope inter se coniuncta ante vocem extremam enuntiati ponit. En exempla:

44, 14: *spoliant populanturque templorum*; 85, 18: *fecerit institueritque dicamus*; 221, 18: *facitis figuratisque nasicam*; 243, 27: *pollui profanarique privatis*; 244, 3: *genuit informavitque natura*; 259, 21: *quaerimus percontamurque de ture*; 262, 2: *mulceant adficiantque naturas*.

Quod in his exemplis vides Arnobium synonymis per *que* particulam coniunctis usum esse, ut clausulam efficeret, id occasione oblata moneo etiam alibi factum esse; confer hos locos:

32, 2: *morbos valetudinesque curasse*; 32, 31: *sanitatem incolumitatemque praestare*; 38, 8: *litteris conscriptionibusque mandata*; 60, 18: *typhum superciliumque deponere*; 64, 10: *clarius manifestiusque monstrare*; 85, 12: *infirmitatem fragilitatemque transire*; 182, 21: *fractus superatusque defecit*; 243, 23: *sancte diligenterque perfeci*.

§ 26.

De 'esse' copula.

Copulae 'esse' quam ad rhythmum efficiendum esse aptissimam viri docti, qui de clausulis disputaverunt, omnes cognoverunt, collocationem Arnobius non minus saepe mutat quam ceteri oratores. Tamen collocationis mutandae interdum alia est causa, immo contraria. Scilicet *esse* vel ideo locum suum mutat, ut ne impedimento sit clausulae. Cuius rei mihi documento sunt:

4, 1: *esse cultores;* 4, 9: *esse concretas;* 8, 9: *esse praestantius:* 11, 24: *esse victorias reportatas;* 14, 8: *esse dimotum:* 21, 14: *vim esse divinam:* 93, 8: *éssē pèrpĕtŭas et superessē mōrtālīūm functīōne.*

10, 17: *illud est in mundo malum;* 15, 20: *re verā est impium:* 21, 10: *maioris est admirationis:* 33, 23: *sanus est factus.*

11, 9: *dicere non sit vestrum;* 13, 7: *ut sit feracitas maxima;* 25, 14: *iste sit constitutus et conditus.*

19, 19: *sint labiles solubilesque natura.*

14, 16: *vestra fuerint adsertione protecti:* 24, 21: *matribus fuerint procreati:* 31, 26: *fuerant necessitate devincta.*

Maxime autem conspicua sunt haec exempla, in quibus scriptor noster copulam a participio et gerundivo separare non dubitavit:

27, 2: *vivus concrematus in fanō ĕst;* 31, 19: *enumeratio facta gestorum est;* 37, 7: *facta omnino non erant;* 99, 26: *infundenda in gremium est.*

Idem valere de compositis copulae ‘esse’ et de infinitivis perfecti activi demonstratur his locis:

127, 9: *nobis superesse custodes.*

22, 22: *irruisse vitali;* 24, 25: *victitasse terrenis;* 109, 17: *edidisse vagitum;* 117, 20: *voluisse naturam.*

§ 27.

De coniunctionum collocatione mutata.

Numeri gratia Arnobius eo progressus est, ut etiam coniunctiones loco suo moveret et ab initio enuntiati in medium transferret, velut in his locis:

cur: 12, 23: *eo annŏ cur messĕs amplíssĭmas Mauris Nomadibusque tribuerunt;* 263, 6: *liquor iste cur detur.*

cum: 13, 8: *cur, duelles cum pereant;* 71, 25: *proletarius cum sit:* 71, 26: *capite cum censeatur* (cf. 71, 26: *cum sit inops*).

ut: 80, 1: *divina adloquerentur ut numina;* 84, 4: *conflagrationibus ut perirent;* 8: *denique obiectarentur ut cunctis:* 143, 21: *Capitolinum ut capiat collem:* 155, 29: *theologorŭm ŭt indĭcant scriptā* (cf. 260, 5: *sacellorum ut indicant ritus);* 186, 1: *theatră ut percrepant:* 221, 17: *displṓsā̄s ū̆t gēstĭlēt nārēs:* 279, 10: *sanguis detur ut corpori.*

Vides igitur nonnullis locis Arnobius coniunctiones post verba finita ponere non dubitare. cf. 80, 1. 84, 8.

si: 67, 4: *quid arquata si sellula* (cf. 6: *quid si cithara . . .*) 7: *quid instrumenta si cetera.* Alia 144, 7. 213, 14.

quod: 122, 16: *easdemque quod species.*

nonne: 132, 10: *iam vero Iunonem opinatio nonne consimilis.*

unde: 93, 28: *mala unde proruperint.*

sed: 36, 9: *periculum adlatura sed nobis:* 152, 6: *procreatus sed tertio;* 223, 23: *manu liber sed dextera.*

aut: 36, 22: *cuius esset aut magnitudinis sciri:* 256, 20: *venenato blandiaris aut scorpio.*

at: 36, 21: *exutus at corpore.*

atque: 149, 18: *talia atque*(!) *molimini.*

et: 84, 19: *benignitatis et columen;* 110, 19: *exui corporalibus possimus et vinculis;* 128, 17: *noctis et tempora:* 160, 19: *vinculorum ponderibus et levari:* 165, 19: *virginis et Dianae;* 272, 14: *catervatim et populus interiret.*

§ 28.

De praepositionum collocatione.

Quanta vis numerorum apud auctorem nostrum fuerit in verbis collocandis, non minime ex mira quadam atque insolenti positione praepositionum intellegi potest. Haec genera traiectionis discrevi:

1) Subst., praep., adj.

8, 19: *tranquillitate in mollissima;* 15, 14: *ratione in aliqua discrepare;* 24, 20: *veritate in liquida prodiderunt;* 64, 14: *tellure in effossa;* 114, 1: *parte in hac causae;* 174, 2: *more de solito;* 284, 4: *sacrorum confectione de cetera.*

2) Subst., praep., genet.

126, 6: *qualitate pro temporis;* 179, 23: *fluore de sanguinis;* 200, 5: *humani speciem fabricatur in penis;* 212, 8: *versuras in huiusmodi cogi*[1]; 248, 4: *cruore de pecorum;* 277, 1: *gaudia servavit ad vitae;* 279, 14: *punctoque in temporis.*

3) Adj., praep., subst.

8, 6: *maiore de parte;* 13, 18: *venenato in dente natrices;* 26, 15: *nihil sentiente de trunco;* 102, 14: *quinque in classes;* 103, 8: *rege sub Tullo* (!); 124, 4: *tanta in re possumus.*

[1]) Hoc loco Arnobiano velim animadvertas plus unum creticum clausulae cadentem partem praecedere. Quod ut fiat, consulto a scriptore nostro etiam verborum consecutionem mutatam esse locis 212, 8. 33, 5. 107, 25. 108, 12. 144, 9. 24,3 13. 250, 4, quos pg. 27 attuli, confirmari mihi videtur.

4) Gen., praep., subst.

33, 5: *deōrŭm antĕ ōra prostrāti*; 53, 25: *senectutis ad metas*; 105, 4: *rerum in numero*; 107, 25: *doctorŭm in littĕris cōntinētŭr*; 108, 12: *cāeli ēx ārcībŭs mittĕretŭr*; 144, 9: *partĭs ūnĭŭs ĭn pulsiōnĕ fōrmātŭm ēst*; 179, 14: *uxoris ad studium derivati*; 250, 4: *gallinarumque de plumis.*

Deinde rhythmo culpae esse dandum censeo, quod locis qui sequuntur, voces cohaerentes dirimuntur.

1) Subst. verb. praep. adj. (genet.)

6, 25: *historias ite per vestras*; 89, 19: *deo removit a maximo*; 152, 16: *capita ire per singula*; 200, 3: *locum pergit ad funeris*; 227, 28: *rebus fieri verba cum brutis.*

2) Adj. verb. praep. subst.

25, 26: *dissolutis abierimus a membris*; 30, 13: *quinque saturavit et panibus*; 34, 17: *suos labi iussere per tramites*; 34, 18: *continuato frenavit a pastu*; 39, 2: *ignominiosis concinnaverunt in fabulis*; 69, 11: *superioribus adventare de saeculis*; 94, 4: *orbito semper circumferatur in motu*; 101, 20: *veram fueris admissus ad vitam*; 102, 28: *Fortunam defertis ad Virginalem*; 180, 12: *perpetuo solus agitetur e motu*; 186, 5: *ipsis mater est ingressa cum moenibus*; 258, 10: *quadrinis copulata de frugibus.*

3) Gen. verb. praep. subst.

25, 6: *divorum rettulistis in censum*; 35, 20: *historiarum exponit in primo*; 91, 10: *nisi dei nihil fieri per voluntatem*; 104, 2: *extorum aliquid significaretur in venis*; 111, 22: *mortis reperiamur in faucibus*; 114, 12: *caeli subvolastis ad sidera*; 132, 10: *deorum tollit e censu*; 133, 17: *deorum esse computabuntur in fastis.*

§ 29.

De pronominum traiectione[1].

Quibus expositis non errare nos puto multorum pronominum traiectionem ab Arnobii clausularum studio ducentes.

1) In ʻseʼ pronomine reflexivo transponendo rhythmum habuisse aliquid momenti ex his locis apparet:

9, 29: *torrere se suetus*; 10, 4: *otiose rutilare se flammis*; 30, 9: *ēxplĭcābant se mārĭā*; 37, 16: *in pericula capitis immittere se sponte*; 41, 24: *commodare se mundo*; 42, 2: *inferre se terris*; 84, 14: *odissent invicem sese* (praeter collocationem

[1]) Cf. Muench, l. c. p. 40 sqq.

hoc loco etiam geminatio pronominis *sese* numeris videtur effecta esse; item 69, 6: *sese summittere*; 280, 7: *extulit sese*); 230, 20: *porrigere se longius*; 230, 23: *aptare se vultus*; 243, 3: *avocare se possint*; 254, 29: *contineret ab huius se hostia*.

2) Neque aliter 'se' subiectum accusativi cum infinitivo coniuncti ante verbum regens ponitur, velut:

37, 7: *vidisse se fingerent*; 85, 2: *qui esse se doleat*; 97, 22: *deo esse se gnatos*; 123, 13: *ultum ire se velle*; 181, 5: *esse se sentit*; 219, 25: *publicare se fingant*; 233, 6: *aspernari sese illa*; 268, 8: *nullius esse se pretii*.

3) Haud raro Arnobius numero, ut videtur, indulgens relativa et interrogativa a suo loco removit:

15, 12: *libido quae tanta est*; 50, 9: *potius credere quod ... spes ferat quam omnino quod nullas*; 55, 26: *virtutes secuti quas estis*; 94, 2: *rei cuius ob causam*; 97, 6: *animarum origo quae sit*; 102, 9: *sed secuti quid simus* (cf. 102, 8: *quid reliquerimus opponere*); 144, 5: *in gratiam concessura est quorum*; 179, 21: *abscisa quae fuerant*; 180, 1: *sponsa quae fuerat*; 183, 16: *ex rigore quae saxeo*; 198, 2: *artibus habeatis quibus* (hoc exemplum est maxime insigne); 219, 26: *in parte qua areae*; 235, 21: *dicere qui convenit*; 241, 28: *in tempore quo dari*; 254, 26: *aut natura quae capri est*.

4) Eadem pronominum collocatio insolens occurrit in his exemplis:

4, 11: *vertigo* ***haec*** *mundi*; 19, 20: *oratione hac uti*; 126, 21: *artibus his locus neque usus* (cf. 127, 1: *his artibus praesidere curare*); 156, 18: *litteris his fidem*.

35, 27: *ardua res* ***ista*** *est*; 89, 22: *universitatis istius*; 98, 27: *vinctionis istius*.

156, 18: *addidicisse* ***vos*** *constet*.

256, 26: ***quadam*** *necessitate ducantur*.

14, 13: *dispendiis* ***omnibus***; 91, 28: *votis omnibus expetat*; 126, 19: *genus omne terrenum*.

57, 19: *obscurandi res* ***tantas***; 89, 28: *spem muneris tanti*; 123, 12: *pro inimicis et contumeliis tantis*.

§ 30.

De ablativo absoluto.

Ne illud quidem neglegendum est, quod scriptor ille ut apte oratio cadat, in ablativo absoluto et inversionem admittit et verba inter se cohaerentia divellit.

1) Quamquam nomen ante verbum collocari solet, saepissime verbum ante invenimus positum:

30, 12: *in famulatum subeunte natura;* 30, 25: *revelata nominis immensitate monstrabat;* 34, 20: *circumscriptis evaginationibus compulerunt;* 36, 26: *tepefacto ardore deriguit;* 50, 23: *adsumpta tranquillitate migraverit;* 111, 9: *circummissis nexibus evolare;* 150, 4: *frustrata exspectatione torqueri;* 163, 8: *derelicta caeli statione iacuisse;* 216, 19: *variata interstinctione fulgores;* 242, 11: *contracta offensione mulceri.*

2) Nomen quoddam inseritur:

14, 26: *invitissimis nos eis;* 98, 24: *Christo potuit docente cognosci;* 99, 10: *Christo potuistis auctore;* 270, 4: *offensionibus redire sopitis.*

§ 31.

Quomodo complura vocabula ceteroquin paratactica Arnobius accommodarit rhythmo.

Favisse Arnobium clausulis inde quoque apparere arbitror, quod contra morem atque usum ubi complura vocabula ceteroquin inconexa posuit, ultimo saepe coniunctiones 'et', 'atque'. 'ac', 'aut' praemisit. Huius generis exempla iam conferam:

1) 'et' adiungitur.

5, 20: *bella frugum inopiam locustas mūrēs et grandĭnes rēsquĕ ălĭas nŏxĭas;* 13, 16: *norunt perpetiuntur et sentiunt;* 28, 9: *furens iratus et percitus;* 60, 4: *boni iustĭ et recti;* 62, 26: *imitatur experitur et temptat;* 63, 22: *musicus dialecticus et geometres;* 82, 5: *sollicitarent abigerent praevicarentur et proderent;* 224, 28: *pulchritudinis venustatis et floris.*

Conferendi causa annectamus paucos quosdam locos, quibus 'et' coniunctione omissa bona clausula efficitur:

62, 27: *labitur reformat immutat;* 63, 23: *orator poeta grammaticus;* 173, 18: *invaderent constringerent conligarent.*

2) '*ac*', '*atque*' inseritur:

31, 24: *correxit restituit atque* (!) *sanavit;* 50, 25: *oratores grammatici rhetores consulti iuris ac medici;* 90, 17: *nesciente ignarŏ atque ĭnscio.*

cf. 121, 18: *frontonēs lābĕōnēs sīmōs, alios mentones naēvios atquĕ* (!) *nāsīcas.*

3) '*aut*' interponitur:

66, 17: *camelus elephantus aut miluus;* 67, 3: *trapetum vomis aut cribrum, mola buris aut sarculum.*[1])

§ 32.

Quo modo Arnobius voces sensu cohaerentes diremerit.

Etiam in aliis vocibus e. g. in substantivis eorumque attributis collocandis Arnobius summa utitur licentia, cuius rei causam metricam esse mihi persuasi. Quodsi audaciam scriptoris cognoscere volueris, inspicias hos locos:

1) adiectivum seiungitur a substantivo:

4, 28: *lumini subministratur extincto;* 5, 13: *vita succingitur et continetur humana;* 5, 21: *negotia incursantur humana;* 6, 20: *limis inhorruisse siccatis;* 8, 21: *rebus incommodatur humanis;* 9, 10: *nostris calcamus ingressibus;* 12, 4: *nonnulla in necessitatibus tempora;* 16, 8: *iacent antiquae derisui caerimoniae;* 27, 21: *ture invitatis incenso;* 136, 12: *venerabiles invitare nos cultus.*

Praeterea 14, 10. 14, 12. 20. 24. 16, 4. 18, 1. 19, 2. 22, 4. 23, 25. 32, 7. 33, 13. 34, 9. 49, 24. 62, 6. 102, 24. 111, 14. 130, 17. 225, 12.

2) pronomen distrahitur a substantivo:

3, 11: *talibus continuerimus ab litibus;* 3, 16: *suis mundus aberraverit ab legibus;* 5, 15: *ulla irruperit novitas;* 6, 23: *suis esse cultoribus;* 21, 7: *tuos persequentibus famulos;* 24, 23: *quas in rebus obeundis adversorum senserint secundantiumque fortunas;* 31, 11: *in his esset perspicienda virtutibus.*

3) genetivus separatur a substantivo:

3, 17: *mortalium importata sunt saeculis;* 19, 12: *nominis prosiluisse naturam;* 22, 28: *nominis inhorrescitis mentionem;* 27, 14: *cruciatoris perpetitur saevitate;* 31, 7: *arrogantium magorum frustrari efficit actiones;* 35, 26: *oculorum redintegrare naturas;* 38, 7: *usum nescientibus litterarum;* 92, 14: *caligine involuta naturae;* 107, 21: *terrarum cognosceret principatum;* 109, 25: *temporum non expectare mensuras.*

Alia: 4, 23. 8, 12. 9, 27. 14, 15. 19. 5. 23, 13. 29, 23. 59, 26. 89, 17. 124, 14.

---

[1]) Loco 243, 14: *ad placandas caeditur mitigandāsquĕ ād nūmĭnūm furĭās* clausulae gratia *ad* praepositio videtur repetita esse.

4) Etiam hunc verborum ordinem rhythmo accommodatum esse puto:

5, 12: *leges interpretantur et iura;* 7, 17: *ferro dimicaretur et viribus;* 13, 4: *laetis officiamus et prosperis;* 18,18: *Pavores reverentur atque* (!) *Bellonas;* 19: *obtunsi pronuntiamur et bruti* (cf. 19, 24: *infausti ét áthĕi nuncŭpamŭr*); 86, 25: *aestimari convenit et ponderari.*

5) Restat ut paucos quosdam locos commemorem, quibus adverbii traiectione apta clausula formata est. Qui sunt:

3, 23: *non impii nos magis;* 72, 9: *viris ab sapientibus maxime;* 139, 16: *est operosum nimis;* 185, 22: *admirabilis res satis.*

Adverbiis addo ablativum *multo:*

169, 19: *cum sit rectius multo;* 243, 9: *sapientius multo est.*

Sed haec hactenus.

Caput V.

De distinctione.

Quoniam superioribus capitibus de clausularum ab Arnobio adhibitarum natura atque forma disputavimus, non abs re erit quaerere, quibusnam locis ille sermonem clausulis vel pausis interruperit. Nordenium[1]) autem cum adnotaret de interpunctione: '*Qua in constituenda* (*scil.* interpunctione) *certissimus dux rhythmus*' bene iudicasse existimo. Nam noster quoque scriptor fines et sententiarum et commatum numeris instruxit. Putaverit autem quispiam clausulas meliores longioresque tantum in periodorum conclusionibus esse collocatas, peiores brevioresque in fine membrorum. Sed alia res est, nisi quod illum animadvertimus in ambitu exeunti dissolutis atque impuris numeris uti evitare. Nullum vero circuitum verborum inveni in libro Arnobii perscrutando, qui clausula non concludatur; membris ornandis non aeque operam dedit. Iam auctoris nostri rationem distinguendi ut illustrem, unum locum exscripsisse satis habeo, cum quae Ziegler[2]) de Julii Firmici disseruit distinctione, non dissentiant ab Arnobii ratione distinguendi.

[1]) 1. Norden, De Min. Fel. aetate et genere dicendi. Gryph. 1897. p. 18.
2. idem, A. K.² 952.

[2]) Ziegler (l. c. XVII sqq).

Elegi 271, 4—16:

Sed si dii immortales nequeunt inquĭt irasci neque ullis animōrŭm adfectĭbŭs eorum quatitur concutitūrquĕ nātūrā, quid historiae sibi volunt quĭd annalēs, quorum in conscriptiōnĭbus légĭmŭs nonnullis offensionibus dēos mōtōs pestilentias sterilitates ac frugum ĭnŏpĭās aliaque intulisse civitatibus nationibusque discrīmĭnă eosque rursus sacrorum satisfactiōnĕ placatōs indignationum posuissĕ fervorēs et ĭn hăbĭtum laetiōrēm statum caeli tempestatumquĕ mutāssĕ. Quid terrarum frĕmĭtus quid mōtūs, quos essĕ accēpĭmus factōs, quod essent acti per indiligentĭăm lūdī nec ad suam formam condicionĕmquĕ curatī, instauratis hīs tămĕn et curiosa observatiōnĕ rĕpĕtītīs, superorum conquievissĕ tĕrrōrēs et ăd hŏmĭnum cūrăm familiaritatĕmquĕ rĕvŏcātōs.

Caput VI.

De arte critica.

Quibus rebus cognitis quoniam negari non potest Arnobium, ubi fieri potuerit, periodos earumque partes numeris instruxisse, capite quod sequitur clausularum ope in emendando textu vires experiar. Sed hac in re non solo me rhythmo esse nisum, verum ubique cum sensum tum Arnobianum genus dicendi respexisse consentaneum est.

3, 23.

efficietur enim profecto rationum consequentium copulatu, ut non impii nos magis sed illi ipsi reperiantur criminis istius rei.

Comma post *nos* poni hoc loco Reifferscheidius iubet. Quod falsum esse rhythmus quem praebent verba *ut non impii nos* satis demonstrant, quo nullus inveniri possit peior: comma autem si ante *sed* collocamus, clausula illa secunda evadit. *Magis* ergo adverbium, quod postponere a genere dicendi Arnobiano non alienum esse pg. 31 demonstravi, ad *impii* adiectivum pertinet. Quod vero attinet ad consecutionem verborum *non magis sed*, contaminavisse puto scriptorem nostrum *non magis quam* et *non — sed* id quod in oratione fervidiore non raro fieri solet.

4, 16.

numquid ipse siderum sol princeps cuius omnia luce vestiuntur atque animantur calore, exarsit intepuit atque in contrarios habitus moderaminis soliti temperamenta corrupit [sic codex; *exarsit aut intepuit atque* . . . Heumann, Reifferscheid].

aut deest in P, addidit Heumanno auctore Reifferscheidius male. Compositio enim verborum *exarsit aut intepuit atque* . . . *corrupit* ab Arnobii sermone abhorret. Sed exstant permulti loci, quibus ille duo verba nulla coniunctione conexa composuit simulque clausulas effecit. Conferas supra pg. 21. *Aut* voculam si recipimus, formatur mala clausula ́◡ ◡ ~, *aut* spreta rhythmum habemus aptum ́– ◡ ̀– / ́◡ ◡ ~.

4. 25.

numquid suas animas expiraverunt venti emortuisque flaminibus neque caelum coartatur in nubila nec madidari ex imbribus arva succedunt. [*madidata imbribus:* Gelenius; *madidata ex imbribus:* Canterus; *madidarier imbribus:* Grotius; *madori ex imbribus:* Salmasius; *succescunt:* Gelenius; *succedit:* Carrio; *se sentiunt:* Meiser[1]).]

Primum ut Reifferscheidii emendationem accedam, qui pro *succedunt* scribit *accidit*, intellegere non possum, quare *accidit* magis quadret in sensum quam *succedit* illud, quod proposuit Carrio. Deinde autem numerus obstat, ne *accidit* accipiamus. Ne ea quidem, quae ceteri viri docti coniecerunt, necessaria esse existimo. *Succedunt* enim cum constructione personali, etiamsi simile quiddam ex libro Arnobiano afferre non possum, tamen et exemplis Graecis cf. *συμβαίνειν*, *προσήκειν*, et scriptoris nostri sermone insolenti satis defendi persuasum habeo.

4, 27.

sapor frugibus esculentis et vitis liquoribus mutatus est.

Numeri auctoritate et eo quod Arnobius *est* copulam in sententia finiente nisi cum clausula nunquam collocavit commoveor, ut hoc loco *est* ante *mutatus* transponam. Confer pg. 25.

18, 28.

nullus tumor indignationis in diis est.

Ita codex; sed rhythmus *diis* in monosyllabum mutari iubet. Aliter cogitandum est de loco 145, 26: *meruerunt de immortalibus dis partes,* quo *diis* numeri gratia scribendum est. Legis similem in modum: 156, 5: *de immortalibus diis possit.*

---

[1]) Meiser, Studien zu Arnobius. Sitzungsber. d. kgl. bayer. Akad. d. Wiss. Muenchen. 1908. pg. 19.

19, 7.

nobis solis sunt inimici, nobis asperrimi dii hostes, quia patrem veneramur illorum, per quem, si sunt, esse et habere substantiam sui numinis maiestatisque coeperunt, a quo ipsam deitatem, ut ita dicam, sortiti esse sentiunt et in rerum numero recognoscunt. [*sortitos esse se:* Ursinus; *sortiti se esse:* Salmasius; *sentiuntur .... recognoscuntur:* Reiff.: *esse se:* Vahlenus; *se cognoscunt:* idem cum Rigaltio].

Hic locus a multis viris doctis tentatus non mediocrem sane difficultatem praebet; sed omnes praeter Vahlenum erravisse contendo clausularum vi nisus. In priore autem parte loci corrupti *esse se sentiunt* scribendum esse pro *esse sentiunt* vel *esse sentiuntur* rhythmo non minus quam his locis simillimis demonstratur: 77, 18: *coepisse se nosse in sui nominis esse substantia praedicari.* 181, 5: *humanum est ergo munus quod esse se sentit et beneficiis debet Pyrrhae quod numerari se conspicit in alicuius substantiae qualitate.* 215, 24: *cui debent di una nobiscum, quod esse se sentiunt et vitali in substantia contineri.* (verto: von dem sie erst die Göttlichkeit . . . erlangt haben mußten, um zu merken daß sie sind . . . .) Sed altera pars difficilior est ad diiudicandum. Quamquam enim *se*, quod Vahlenus cum Rigaltio pro *re* substituere vult, et sensui respondet et Arnobii legibus rhythmicis, tamen loco 117, 18: *sexus se solet libidinum propriarum admonitionibus recognoscere* adductus haud scio an *se* post *numero* inserendum sit. Tum hic locus praebet hanc speciem: *essĕ se sentīūnt et in rerum numero se rēcognoscūnt.*

37, 4.

gentes populi nationes et incredulum illud genus humanum quod nisi aperta res esset et luce ipsa quemadmodum dicitur clarior, numquam rebus huiusmodi credulitatis suae commodarent adsensum [*commodaret:* Meursius].

Commodarent formam a Meursio iure reiectam esse rhythmus et locus 51,13: *credulitatis adsensu* mihi documento sunt (229,30).

38, 12.

si qua sunt litteris conscriptionibusque mandata, malevolentia daemonum et consimilium his hominum interpolata quaedam et addita . . .; ut et prudentium tardaret fidem et gestorum corrumperet auctoritatem [*tardarent .... corrumperent:* Gelenius, Reiff.]

Hoc loco Reifferscheidius codici diffisus Gelenii Basiliensis coniecturam comprobavit et textui inseruit. Sed hic quoque codicis scriptura defendi potest. Nam nescio an *tardaret* et *corrumperet* ad *malevolentia* vocem spectent. Deinde codici si fidem habebimus, clausula tertia pro ditrochaeo efficietur, id quod non neglegendum est. (*corrumpĕrĕt aūctōrĭtātēm* pro *corrūmpĕrēnt aūctōrĭtātēm.*)

45, 21.

o ingratum et impium saeculum, o in privatam perniciem incredibili pectoris obstinatione privatum [*paratum:* Ursinus; *pronum:* Gelenius].

Agitur de verbo extremo *privatum* quod et corruptum esse et propter *privatam* verbum antecedens in textum falso receptum satis apparet. Duabus autem emendationibus, quae factae sunt, consentire non possum, quamquam sententiarum contextui respondent. *Paratum*, quod Ursinus reponere voluit, eo refuto, quod cum in universum apto numero obstat tum rationi ab Arnobio apud verbum *parare* initae, id quod docent haec exempla: 118, 20: *expeditionem paratas.* 122, 17: *caerimoniarum paratu.* 182, 16: *expeditionem parati.* Non melior clausula *pronum* vocis ope fingitur. Nisi cum Zinkio lacuna signanda est, haud scio an scribi possit *pravatum* quod verbum, quamquam mihi apud Arnobium non occurrit, tamen ut multa novavit Arnobius facillime a *pravus* derivare potuit. Sed id in medio relinquo.

55, 3.

cum igitur comperti nihil habeatis et cogniti omniaque illa quae scribitis et librorum comprehenditis millibus credulitate adseveretis duce, quaenam haec est iudicatio tam iniusta, ut nostram derideatis fidem, quam vos habere conspicitis nostra in credulitate communem.

Cum ex artis criticae legibus sit lectionem codicis quam plurimum obtinere, eo modo, quo Reifferscheidius huic loco mederi conatus est id fieri non posse censeo (*Quamquam . . . nostram credulitatem* . . .). Mea quidem opinione sufficit Ursino auctore pro *in* scribere *cum*. Accedit quod editoris illius mutatione aptus numerus *tate communem* tollitur, qui his locis sustentatur ac defenditur: 23, 2: *vobisque communis;* 44, 24: *esse communia;* 52, 24: *constituta communibus;* 103, 17: *iudiciumque commune;* 103, 26: *expolita communis;* item 123, 18. 211, 20. 249, 25. Confer etiam 53, 14: *ridere nostram fidem consuestis atque ipsam credulitatem facetiis iocularibus lancinare.*

67, 16.

quid in Menone, o Plato, quaedam rationibus numeri admota ex puerculo sciscitaris et ex eius niteris responsionibus comprobare quae discamus non discere.

Contra codicis auctoritatem Reifferscheidius *discamus nos non discere* scribi vult, quod iam antea Zinkio rectum esse videbatur. Iam vero etiamsi concedo hunc accusativum cum infinitivo coniunctum carere subiecto, tamen ut *nos* illud procul habeam commoveor cum eo, quod in latinitate posteriore non ita raro hoc fit [1]) tum quod clausula aptior evadere mihi videtur. (*Discamus non discere* ´ ˘ ≚/— ∪ ~ potius quam *discamus nosnon discere* — — —/ ∪ ~.) Praeterea conferas velim 256, 1: *intellegere confitemur non posse*, ubi *nos* eodem modo desideratur.

70, 19.

Omnis enim passio leti atque interitus ianua est, ad mortem ducens via et inevitabilem rebus adfĕrēns fūnctiōnĕm.

Iniuria editorem post *functionem* lacunam signavisse his de causis censeo. Primum *necessitas* vel simile quoddam verbum, quod illi excidisse videtur, imaginem, qua scriptor haud dubie uti vult, tollit; deinde nullo modo exitum tam numerosum enuntiati adipisceremur quam codicis scriptura servata. Prorsus eam recte se habere mihi persuasi eo quod compluribus locis *functio* ipsa vox membri finem obtinet. Huc pertinent 93, 9: *mortalium functioni.* 97, 23: *post hominis functionem.* Aequali modo Arnobius sententias concludit his locis: 96, 21. 99, 5. 102, 18. 103, 7. 155, 27. 181, 18. 191, 25.

77, 4.

Plato . . . in eo sermone ac libro cui nomen Timaeus scribitur deos dicit . . .

Quae verborum consecutio numeris magnopere repugnat ob eamque rem coniciendum esse censeo: *Timaeūs inscrībĭtūr*. Eodem enim modo scribit auctor noster 123, 9: *nomen esset . . . Ciceronis inscriptum.*

77, 9.

neque ullo ab alio nisi ab eo qui vinxit et dissolvi si res poscat et salutari iussione donari. [*missione:* Gelenius; *vinctione:* Salmasius; *mansione:* Meiser; *enodari:* Vahlenus].

[1]) Draeger, Lat. Syntax I, 440. Schmalz [4] § 173,2.

Post voces *salutari iussione* lacunam esse statuendam Reifferscheidius existimat, quae apte expleri ei posse videtur verbis *dono immortalitatis* vel similibus. Mea quoque sententia magis dubia atque incerta est locutio *salutari iussione* quam ut intellegi possit quid scriptor ea exprimere velit. Qua de causa cum Gelenio facio, qui verbo *iussione* in *missione* mutato et loci rationi et rhythmo satisfecerit. Accedit quod *one*[1]) ipsum non minus quam *donare* verbum ad clausulas efficiendas Arnobius frequentat.

one trochaeus his locis occurrit: 225, 6. 227, 16. 229, 24. 231, 13. 233, 14. 235, 9. 237, 14 23. 238, 20. 239, 13. 240, 19. 241, 7. 10. 22. 242, 11. 243, 11 aliisque.

Donare vocis in fine clausulae exempla invenies: 29, 18: *liberalitate donasse*. 275, 7: *concessione donaret;* alia: 89, 28. 123, 16. 190, 24. 221, 23. 224, 1. 242, 24. 244, 14. Quod autem attinet ad sensum, *missione* ab eo non abhorret adeo, ut scriptor optima translatione usus esse mihi videatur, cum praesertim hic, ubi de deo patre agitur, cuius voluntate res mundi hominumque continentur, facile cogitari possit de certaminibus gladiatoriis, in quibus vita gladiatorum clementiae imperatorum erat subiecta[2]).

84, 9.

sed procul haec abeat sceleratae opinationis immanitas, ut deus credatur omnipotens . . . . tam mobiles animas genuisse . . . . in corpora ire iussisse, morbis denique obiectarentur ut cunctis quos infelix et miseranda mortalitas diversarum sustinet dilacerationem Poenarum. [*dilaceratione:* Sabaeus; *dilacerata Poenarum:* Reiff.].

Rursus violentius minimam corruptelam Reifferscheidium petivisse hoc loco rhythmus docet et rerum contextus. Equidem intellegere non possum quidnam aliud *dilacerata crucibus* vel *flagellatione* vel simili verbo significetur quam *dilaceratio* voce. Sabaeus autem suo iure neque ulla vi pro *dilacerationem* reposuit *dilaceratione* atque hoc modo illud *one* servavit, quod quam saepe apud Arnobium reperiatur, supra diximus.

[1]) Bastgen, Quaestiones de locis ex Arnobii adversus nationes opere selectis. Monast 1887 p. 137.

[2]) Skutsch, Philol. n s. XV, p. 194.

88, 3.

qui ergo luctatur animarum ingenitas corrigere pravitates, is apertissime monstrat imperfectum, improbabilem se esse, quamvis omni conatu et pervicacia contrarium contendat. (*contrarium* non habet P; addidit Orellius.)

Quo loco quamquam codicis scripturam *contendat* corruptam esse concedimus tamen neque ab Orellio neque a Reifferscheidio stamus; nam utraque lectio plus minusve repugnat Arnobii studio rhythmice scribendi. Skutschii autem emendatio, qui *pervicacia contra tendat* scribi vult, et rythmo respondet et rerum circuitui. Accedit quod *contra tendere* est ex locutionibus Vergilianis, quas inseruisse multas suo libro nostrum auctorem Spindler[1]) bene ostendit. Conferas velim Verg. Aen. 5, 27: *cerno te . . . tendere contra.* 9, 768: *Lyncea tendentem contra.* 9, 795: *nec tendere contra patitur.* In libro Arnobiano *contra* exstat his quoque locis: 196, 18. 227, 3.

90, 11.

quoniam si cuncta eius voluntate conficiunt nec citra eius nutum quicquam potest in rebus vel provenire vel cadere, necessario sequitur, ut . . . .

Codex exhibet *conficiunt*, Sabaeus emendat *conficiuntur* quod Reifferscheidio rectum esse videtur. Sed clausulis observatis censeo *confiunt* in textum recipiendum esse, quae verbi forma his quoque locis invenitur. 83, 6: *cuncta confierent.* 237, 18: *parte ista confiunt;* 246, 7: *necessitate confiunt.*

90, 25.

cur non omnia facitis quae impatiens iusserit atque imperaverit libido.

Hoc loco imminutam formam *imperarit* praeferendam esse iudico, quod pleniores formae ab auctore numquam fere paenultimo loco adhibitae sunt nisi bonam clausulam efficiebant. Conferas velim pg. 19.

93, 9.

hic enim eas retur et esse perpetuas et superesse mortalium[2]) *functioni, superesse ille non credit, sed cum ipsis corporibus interire . . .* [*mortalium corporum functioni:* Reifferschi.]

Reifferscheidio scribenti *mortalium corporum functioni* assentiri non possumus. Neque enim est, cur offendamus in codicis scriptura, cum et *mortalis* vox apud Arnobium saepissime

[1]) Spindler, l. c. p. 11. [2]) *mortalium* est genet. masc. gen.

exstet pro *homine* et ad huius loci rationem illustrandam plane sufficit. Praeterea *mortalium functioni* lectio aptum numerum praebet.

99, 4.

potestis, inquam, scire . . . . . infinita an finita sint saecula . . . . . quo priorum abscesserint animae, ... potuerintne accedere ad . . . periculum moriendi, nisi tempore necessario conservator occurrisset Christus?

Reifferscheidius conicit *occurrerit* hic adhibendum esse pro *occurrisset* idque merito; nam hac demum facili emendatione accepta oratio elegantius currit. Sensus vero atque praecepta grammatica huic rei favent.

103, 7.

nonne istum morem religionemque mutastis atque ut rufulos liceret dari, senatus constitutum sanctione est.

Livineio auctore *est* copulam Reifferscheidius addidit; recte meo quoque iudicio, sed falso loco. Equidem suadeo, ut *est* inseratur post *constitutum* quia tum numeroso exitu delectamur *(tūtŭm ēst sanctīōnĕ)*. De hiatu conferas velim quae disserui in paragrapho nona. Confirmandi causa huiusmodi exempla affero: 153,18: *imminuta es sanctitate.* 163,22: *conservata est sanctitas.* 237, 11: *decursum est sanctiones.*

113, 19.

constat praeter ipsum regem et principem esse alia numinum capita, quae digesta et separata per numerum velut quendam populum plebeiae multitudinis faciant.

Ne hoc quidem loco Reifferscheidio adstipulari possum, qui in voce *numerum* offendit. Nam codicis lectio neque rationi loci repugnat et bona clausula confirmatur. An *digesta et separata per numerum*, Germanice 'ihrer Stellung, ihrem Range nach verschieden' non bene opponitur vocibus *ipsum regem et principem*? Eadem clausula praepositionum ope formatur his locis: 192, 16. 239, 27. 245, 25. 250, 4. 252, 5. 258, 10. 277, 17 aliisque permultis. Denique confer locum 115, 27: *naturam divisam esse per sexus.*

114, 11.

potest enim fieri, ut et hi sint quos esse non remini et quos esse confiditis in nulla inveniantur parti naturae.

Dubitari vix potest, quin pro *partis* vel *parti* emendandam sit *parte*, quod Sabaeo iam placebat. Omnibus enim locis libri Arnobiani *parte* forma ad clausulam aptior ablativi vice fungitur.

Exempla: 135, 26: *in parte naturae.* 141, 9: *in parte dubitari.* 181, 3: *nulla fuit in parte naturae.* 222, 11: *esse in parte naturae.* 250, 26: *alimoniarum in parte iusserunt.*

115, 17

quinam isti sint divini quos nobis ingeritis . . . . .

Rhythmi gratia hoc loco pro *divini* scribendum esse puto *divi,* quod nomen 137, 13 quoque: *novitati praesidentibus divis* nobis occurrit. Hic autem numerus efficitur: *istī sint dīvī.*

134, 9.

non indocti apud vos viri neque quod induxerit libido garrientes Dianam Cererem Lunam caput esse unius deae † triviali germanitate pronuntiant neque ut sunt trinae dissimilitudines nominum, personarum dissidentias tres esse.

Hoc loco quamvis viri docti non offenderint, transponere velim duas voces exeuntes. Collocatae enim hae sunt in fine ambitus, quem semper fere perbonis clausulis ornare Arnobius studuit. Verba autem *dissidentias tres esse* nihil minus quam aptum numerum praebent. cum transpositione facta facillime id fiat. Quo accedit, quod haec collocatio verborum cum magis perfecto generi scribendi Latinorum respondet — gravissimae enim voces aut in sententia ineunti aut in exeunti ponuntur — tum Arnobii sermoni, apud quem numquam fere *esse* extremo loco inveni nisi in bona clausula. Praeterea traiectionem meam fulciri puto loco 136, 4: *has igitur numero esse tris effert.*

143, 26.

ante facta et haec ergo numquam fuerant numina et nisi Romulus tenuisset teli traiectione palatium nique Tarpeiam rupem rex Sabinus potuisset accipere, nulla esset Pantica, nulla Praestana esset? si et has dicitis . . . . . (*praestana* ē: P; *Praestana. et si* . . . .: Sabaeus.)

Siglae *ē* falsa interpretatione Reifferscheidius cum Salmasio scripsit: *Praestana esset.* Rectius Sabaeus, cum emendaret *Praestana et.* Nam quid languidius cogitari potest quam hoc loco copulae *esse* repetitio? Chiasmum qui vocatur, statuere vereor, quia copula rarissime apud Arnobium extremum locum tenet, nisi oratio bene currit. Rhythmus autem *nullă essĕt Panticā, nullă Praestană* sine dubio multo melior est quam *nullă ĕsset Panticā, nullă Praestană ĕssĕt* propter hiatum. Postremo dubitantibus pauca exempla proferam, in quibus *et* coniunctio in initio sententiarum invenitur. Quae sunt: 106, 24. 108, 10. 115, 12. 118, 9. 119, 2. 125, 5 eqs.

151, 5.

iamdudum nos pudet ad eum locum venire in quo risum tenere non possunt non tantum pueruli et procaces, verum etiam serii atque in oris tetrici asperitatem durati. [*in oris:* Reiff.; *mares:* P; *mores:* Sab.; *moris:* Salm.; *tetricia:* Sab.; *asperitatem:* Salm.; *tetricia asperitate:* P.]

Male huius enuntiati finem a Reifferscheidio emendatum esse arguo, non quo negaverim contextum rerum intellexisse illum, sed quia longius a memoria abscedat. Codex enim exhibet: *mares* (quod haud dubie recte mutavit in *mores* Sabaeus) *tetrici asperitate durati*! Quam ob rem Cantero annotanti ad hunc locum: *in Romano codice legitur: 'atque in mores tetricia asperitate durati' nec male meo iudicio* assentire non dubito. Unum sane mendum tolli necesse est, dico *tetricia*; nam quantum scio, adiectivum *tetricius* in latinitate non invenitur, quamquam Sabaeus non offendit. *Tetrica* autem formam scribere malo. Praeterea probamus clausulis respectis *asperitatĕ duratī* scripturam.

155, 6.

aut quis quaesitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter personas huiusmodi aut vindicias iustas dare aut sacramenta conetur pronuntiare non iniusta? [sic Reiff.; *iusta:* P.]

Numerus primo quasi aspectu ostendit codicis verba esse defendenda. Neque enim habemus cur sensum corrumpi iudicemus *in* vocula omissa. Immo vero verba tradita cum plane loci rationi sufficiunt tum cogitationem scriptoris multo acrius ac subtilius reddunt, praeterquam quod coniunctiones *aut* inter se respondentes iubere mihi videantur inter iudicia iusta et iniusta distingui, non inter *vindiciae* et *sacramenta*, quae synonyma saepe adhibentur. Ut denique ostendam *non iusta* a sermone Arnobiano non alienum esse, haec exempla afferimus: 116, 24: *vestra non quitis.* 238, 14: *respondeamus verbo non scimus.*

156, 6.

quid est enim, quod dici de immortalibus diis possit quod non ex hominum discriptis ad humanas pervenerit notiones P. [*scriptis:* Reiff.; *descriptis:* c; *de scriptis:* Ursinus; *de his scriptis:* Salm.].

Cum Reifferscheidio, qui *discriptis* mutavit in *scriptis*, facere non possum. Nam etiamsi Arnobius ea quae homines memoriae prodiderunt, scripta nominat (cf. 155, 29. 162, 3. 171, 10. 222, 13)

tamen illas duas litteras sine mora omittendas esse nego. Ne Sabaei quidem sententiam sequi audeo, cum nusquam *descriptum* in Arnobii libro occurrat, quamquam Tac. Ann. 6, 24 hoc participio substantivi loco utitur. Skutschii autem emendatione *de diis scriptis* male e versu antecedenti *de diis* repeti puto, etiamsi oratio elegantissime currit. Quae cum ita sint, Salmasio adstipulari non dubito, qui *de his scriptis* conicere vult. Haec enim mutatio et verisimilis est et rhythmo respondet.

171, 20.

verum ita se res habet, ut quoniam plurimum gladiis et potestate valetis ferri, anteire vos etiam veritatis scientia iudicetis et esse pro diis pios, quorum potentias primi opinionum obscenitate foedastis.

Cur in hoc loco editor offendat, facile intellegi potest. Sed *ipsos* quod pronomen Meursius pro *pios* inserere voluit, sensui repugnat, quamvis aptum sit ad numerum. Rectam viam arbitror Meiserum[1]) iniisse, qui *pios* in *primos* mutans et sententiam bonam assecutus est et numerum idoneum.

174, 29.

credimusne illum Faunum et Martium Picum, si ex numero sunt deorum et ex illa perpetua immortalique natura, sitis aliquando ariditate siccatos atque ut aestum possent irrigare venarum, fluenta isse per fontium. [*petisse*: Meiser.]

Reifferscheidius ante verba *per fontium* rursus crucem posuit. Hoc quoque loco non apparet, quare textus ducendus sit corruptus. Etiamsi non dubium est, quin editori *per* praepositio fuerit offensioni, tamen nihilosetius illam suo loco esse contendo. Arnobii enim hic iam non interest de illo fonte uno atque certo cogitari, ad quem dii venire dicantur haustum, sed in universum exprimi, quam ridiculum sit vel ineptum deos credere hominum more sitire et aquam haurire. Quam cogitationem miram nulla re magis augeri aut in risum verti posse puto, id quod Arnobius hoc loco haud dubie efficere vult, quam quod Faustum et Martium Picum tum ad hunc tum ad illum fontem accedentes facit, quod *per* praepositione significatur. Porro fulcitur *per fontium* rhythmi vi atque auctoritate. *Petisse* quod Meiser pro *isse per* scribere vult, et bonum rhythmum tollit et usui dicendi Arnobiano repugnat. Conferendi causa proferre mihi liceat haec: 6, 25: *historias ire per vestras*. 193, 9: *ire per singulas*.

[1]) Meiser, l. c. pg. 30.

175, 24.

hoc est enim dicere: illo ritus genere meas iras placabitis et si quando per fulgura significavero aliquid imminere, facite hoc et illud, ut quod fieri statui inane fiat et sacrorum vanescat.

Ita codex; sed *sacrorum* corruptum esse nemo est quin videat. Emendationes autem quae in hunc locum factae sunt, non probo. Neque enim sententiae favet neque numeris *sacrum*, quod Sabaeus scribere vult. Multo autem verisimilius *sacrorum vi* mihi videtur esse, quod Cuiacio emendare placuit; sed, ut rhythmus apte cadat, etiam *vanescat* in *evanescat* mutandum esse existimo *(ét săcròrū́m vĭ́ évanéscāt)*. Quas voces ab Arnobio numeris respectis variari exempla sunt: 57, 10: *Christo evanuisse*. 59, 12: *frustratione vanescunt*. 276, 26: *morbus evanuit* aliaque. Alia ex parte dubito, an *oblatione* vel simile verbum in *one* desinens exciderit et *vanescat* defendendum sit.

177, 27.

cuius cum audacia quibusnam modis posset vel debilitari vel comprimi saepenumero esset deorum in deliberatione quaesitum, haesitantibus ceteris huius muneris curam Liber in se suscipit.

Rhythmi gratia hoc loco pro *suscipit* praesenti *suscepit* perfectum esse scribendum censeo. Qua levi coniectura accepta bona clausula fingitur (— ∪ — / — — — ∼), quam non praebet scriptura *Liber in se suscipit* (— ∪ — — — ∪ —).

183, 18:

nondum, inquit, contigerat lucem et tonitrus patrios iam mugiens imitatusque referebat.

Quanti momenti sint clausulae ad textum genuinum recuperandum vel defendendum, ex hoc quoque loco intellegitur. Omnes enim emendationes propositae non necessariae sunt. Dummodo *mugiens imitatusque* habeamus pro *ἓν διὰ δυοῖν* figura rhetorica, et sensus et numerus bene se habent. Particulam autem *que* hoc loco collocatum esse, ut bona clausula efficiatur, in promptu est.

188, 6.

quae si utique vera est, nullam videmus subesse rationem, cur nobis irasci perhibeantur dii caelites, cum turpitudines illorum tantas neque . . . . neque in publicam testificationem sacrorum celebritatibus miserimus (inseruerimus: Urs.; Reiff.*)*.

A Reifferscheidio qui Ursino auctore *miserimus* in *inseruerimus* emendavit stare non possum. Immo codicis scripturam rectam esse iudico et eo commotus quod *latibus miserimus* numerorum lege postulatur et eo quod *mittere* hac in coniunctione verborum a sermone Latino non abhorret. Exempli causa habeas: Lucan. 10, 533: *mittere in famam*; Vopisc. Tac 11: *mittere aliquid in litteras.*

190, 22.

Nec non et Cypriae Veneris abstrusa illa ĭnĭtĭă praetĕrĭbīmŭs, quorum conditor indicatur Cinyras rex fuisse . . . [*praeterimus*: P.]

Tempus futurum *(Bacchanalia etiam praetermittemus immania)* in enuntiatione praecedenti esse et in insequenti coniunctivum praesentis (*oblivioni sacra donentur*), quod idem valet, concedens tamen verbo *desistimus*, quod exstat loco 191, 4, et rhythmi respectu cogor, ut retineam quod in codice scriptum est. Illius temporis variationis causam ex eo quoque repeto, quod auctor noster acerrimus est in dicendo: Similem in modum *praeterire* verbi ope clausula tertia formata est: 166, 18: *silentio praeteriri.* Deinde conferas quaeso: 24, 4: *praeterimus et transgredimur.*

Eadem ratione (hic quoque iniuria) Reifferscheidium in locum 129, 12: *silentio praeterimus* consuluisse puto, cum *praeteribimus* coniecerit.

196, 17.

Aversatur et respuit humanitatis officia maerens dea nec eam fortuna perpetitur valetudinis meminisse. comis rogat illa atque hortatur contra, sicut . . . . . [*comis*: Oehlerus; *communis*: P; *meminisse communis. rogat*: vulgo.]

Quantam vim numerus habeat ad distinctionem genuinam restituendam, hic locus est singulare exemplum. Mea enim sententia nostri scriptoris est ostendere, quantam in calamitatem pervenerit dea Ceres, quantam aegritudinem susceperit ex filia rapta, ut etiam edere et bibere, quod quisque nisi omnia obstant facere solet, recuset. Hoc bene significari voce *communis* censeo. *Comis* vero adiectivum cum *rogat atque hortatur* coniunctum supervacaneum esse quis est quin intellegat? Immo enuntiatio, cuius in initio *comis* falso collocatum est, melius et acrius a verbo finito proficiscitur. Hoc cognito atque constituto si finem antecedentis enuntiati esse *meminisse communis* iubemus, clausulam ab omni parte absolutam adipiscimur. Quo accedit, quod Arnobius *communis* in sententiae fine ponere adamat, ut docent exempla in pg. 35 allata.

198, 3.

haret animus scire quibus sitis eloquiis tam periculosa negotia defensuri, vel artibus habeatis quibus tam confossis salutem dare personis vulneribus atque causis [*personis vel rebus atque causis:* Reiff.].

In hoc loco ab omnibus aliis viris doctis probato Reifferscheidius primus atque solus offendit, non iure contendo. Iam ne longius de dissimilitudine *vulneribus* et *vel rebus* vocum dicam, verba sive *personis vel rebus atque causis* sive *vel artibus vel rebus atque causis* inter se coniuncta et generi dicendi perfecto et verborum collocationi usitatae repugnant. Accedit quod participium *confossus* adiectivi loco raro usurpatur, immo semper fere cum ablativo instrumenti tum voce ipsa *vulneribus* accuratius definitur. Praeterea *causa* nomen etiam temporibus Christum natum subsequentibus idem significare potest ac *morbus* vel *valetudo*, id quod ad hunc locum ipsum quadrat. Quapropter *vulneribus atque causis* ita pertinere ad *confossis* censeo, ut ablativi vice fungatur. Restat ut *vulneribus* voce servata numerum optimum esse commemoremus, *vulneribus* deleta peiorem atque inusitatiorem. Eandem collocationem vocis *vulneribus* habes 130, 3: *debere vulneribus imputari.*

208, 8.

quia omne quod gestum est et in alicuius operis evidentia constitutum conversionem non potest in allegoricam duci.

Ita codex Romanus; sed et rhythmo, qui in huius enuntiati fine est, et aliis locis similibus commoveor, ut *duci* emendem in *traduci.* Nulla enim clausula est *non potest in allegoricam duci; non potest in allēgŏrīcam trādūci* bene quadrat in Arnobii rationes quae pertinent ad numeros. Deinde coniecturae meae favent haec exempla: 131, 21: *ratione traducere;* 209, 14: *in allegoricas species nulla possunt conversione traduci.* 4, 19. 100, 15. 101, 24. 129, 28. 131, 21. 176, 15. 199, 3. 221, 20. 227, 29.

218, 13.

quid quod multa ex his templis quae tholis sunt aureis et sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa et functorum corporum sepulturas esse. [sic Reiff.; *esse corporum:* P.]

Equidem persuasum habeo *esse* multo facilius post *sepulturas* a scriba falso inseri potuisse quam inter *functorum* et *corporum,*

quae voces non habent litteras *esse* verbo similes. Praeterea *corporum sepulturas* praebet clausulam meliorem atque graviorem: conferas vero velim 219, 24: *telluris patriae sepulturae.*

236, 1.

quid enim si verum et sine gratificatione perspicias, signa ista quae dicunt habent in se magnum, ut merito sperarit atque existimarit antiquitas conspectu illorum posse frangi hominum vitia et maleficia et mores temperari (*mores et maleficia:* P. *et mores a maleficio:* Salm.).

Male traiecisse Reifferscheidium verba codicis censeo. Nam qua de causa *mores* melius cum *vitia* voce quam cum *maleficia* quam *maleficia* cum *vitia* coniungatur, non apparet, cum *mores* quoquo modo significet *mores in peius versos.* Immo clausulae vi adducor, ne collocationem traditam tollam. Huiusmodi vero fines sententiarum apud Arnobium creberrimi sunt; en exempla: 153, 12: *muneris ṓffĭcìă trānsfērēmūs.* 167, 16: *cessatis mắlĕfìcĭă vīndĭcārē.* 273, 21: *in mắlēfĭcìă vindĭcātūm.* Alia: 115, 9. 117, 23. 148, 12. 164, 8. 175, 18. 189, 13. 214, 7. Quod autem attinet ad Salmasii coniecturam: *a maleficio,* etiamsi non praeter rationem atque usum est, tamen non necessaria est.

239, 8.

quae sit causa, quae ratio, sacrificia ut ista faciatis, quid deinde ex hoc lucri ad deos ipsos perveniat atque in eorum commoditate subsidat.

Hoc loco quaestio est, utrum cum codice *in eorum commoditate subsidat* an cum Stewechio *in eorum commoditates* scribamus. Mihi quidem non dubium est, quin codicis lectio conservanda sit. Nam qua de causa sive pluralis *commodidates* sive *in* cum accusativo coniunctum melius atque aptius sit, perspicere non possum. Immo verbum *subsidere in* cum ablativo et tritius usitatiusque est et hoc loco rhythmo magis respondet. Praeterea conferas velim: 229, 11: *veritate naturae.* 30: *maiestate cogantur.* 234, 12: *in civitate deleret.* 239, 2: *uniformitate servaret.* 100, 3. 127, 25. 129, 21. 132, 16. 183, 12. 185, 3. 219, 26. 221, 5, 26. 222, 8. 227, 9, 21. 235, 21.

246, 8.

nunc vero quia casibus nullus est in his locus, sed ineluctabili omnia necessitate confiunt, agit sese ordo praescriptus et quod semel decretum est perficit. [*perficitur:* Reiff.].

Perficit corruptum esse ratus Reifferscheidius *perficitur* scripsit. Activum autem huic loco multo melius respondere puto. Nam de necessitate fatali sermo est, qua in mundo nihil extra leges naturae fit: ordo praescriptus perficit, quod semel decretum est, non animal quoddam cogitans. Non minimum autem textus genuinus clausulis confirmatur *(decretŭm est pĕrfĭcĭt).*

259, 18.

o decorum magnitudo mirabilis, o nullis hominum comprehensa, nullis intellecta naturis, siquidem ut prosint testiculis pecudum redimuntur et rumis neque prius iras atque animos ponunt nisi sibi adoleri paratas conspexerint nenias offasque reddier penitas.

[*redemptas:* P. corr. Zinkius et Gelen.].

Quamquam concedimus non sine iure a Zinkio et Reifferscheidio verbum *reddere* in hoc loco corrupto suppleri, tamen intellegere nos non posse confitemur, quare ipsam *reddier* formam elegerint, non *reddi* infinitivum usitatum (cf. 153, 11). Breviorem formam ut in textu ponamus, numerus etiam oratorius imperat. Neque tamen scio an Gelenii mutatio anteponenda sit qui loco 257, 16: *tantumque offasque penitas* ut puto permotus, verbum omnino omisit. Cursus quidem tum melior magisque purus est sed ob *red* litteras *reddi* non tollendum esse mihi videtur.

269, 27.

discordias alios ex his vos, alios dicitis qui pestilentias invogent, alios qui amores, qui furias, alios vero qui praesint bellis et sanguinis effusione laetentur: at vero nos contra ab ingeniis numinum iudicamus esse disiunctas. [*disiuncta:* Canterus, Ursinus].

Reifferscheidium ante *disiunctas* lacunam signantem rem acu non tetigisse, rhythmus, quem praebent verba *esse disiunctas,* dilucide demonstrat. Saepius enim copula *esse* cum compositis verbis e stirpe *iungere* coniuncta est, quam ut hoc loco illa verba separare possim. Exempla invenies: 80, 24. 129, 21. 200, 23. 214, 5. 241, 22. 280, 6 aliisque locis. Iam vero concedo *disiunctas* illud subiecto carere et suadeo, ut cum Cantero, Ursino aut *disiuncta* reponamus aut inter *iudicamus* et *esse* addamus *eas* quod facile excidisse potest.

276, 19.

ab ipso patre . . . . apud quem causa tanti fuerat motus et inoboeda cessatio. [*in oboedientia:* Meursius; *in obeundo:* Sabaeus].

In codicis voce *inoboeda* offendentes Sabaeus et Meursius, cuius sententiam Reifferscheidius secutus est, coniecturas fecerunt; sed iniuria. Nam ubicumque *ἅπαξ εἰρημένα*, ut ita dicam, neque sensui neque rhythmo repugnant, memoriam esse conservandam censeo. Quo in loco accedit, quod et *in oboedientia* et *in obeundo* peiores numeros formant.

279, 28.

sin autem intenderat cernendum se dare — non enim debuit oculorum negare conspectui — cur non talem videri se praebuit qualem sciebat se esse [*negare se conspectui* Reiff.].

Verba *negare conspectui*, quamquam ab editore nostro in dubium vocata sunt, tamen a temeraria mutatione defendere opus est. Clausularum enim lege commoveor, ne inter hanc verborum consecutionem numerosam *se* pronomen inseram. Similes autem loci, qui exstant 174, 25: *insinuare contemptu*; 215, 17: *habere contemptui* opinionem meam videntur confirmare. Quid quod verba *cernendum se dare* non ita difficulter obiecti loco ad *negare* subaudiri possunt. Illis vero, quibus id non persuadeo, *se* pronomen ante *negare* addendum propono.

Conspectus libelli.

4

Loci, quos tractavi, sunt hi:

3, 23. 4, 16. 4, 25. 4, 27. 18, 28. 19, 7. 37, 4. 38, 12. 45, 21. 55, 3. 67, 16. 70, 19. 77, 4. 77, 9. 84, 9. 88, 3. 90, 11. 90, 25. 93, 9. 99, 4. 103, 7. 113, 19. 114, 11. 115, 17. 134, 9. 143, 26. 151, 5. 155, 6. 156, 6. 171, 20. 174, 29. 175, 24. 177, 27. 183, 18. 188, 6. 190, 22. 196, 17. 198, 3. 208, 8. 218, 13. 236, 1. 239, 8. 246, 8. 259, 18. 269, 27. 276, 19. 279, 28.

Vita.

Natus sum Theodorus Lorenz die III. mensis Februarii anni 1887 Silesiae in vico, cui nomen est Boberroehrsdorf patre Augusto, matre Paulina e gente Bartsch, quos ambos adhuc salvos esse magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in patris mei schola instructus et rudimentis linguae Latinae a Gotthardo Wagner divini verbi interprete imbutus anno 1898 gymnasium regium Cervimontanum adii, quod Thalheimio rectore florebat. Septem annis post maturitatis testimonium adeptus in numerum civium academiae Ienensis relatus sum ibique studiis imprimis philologicis et historicis incubui. Inde mense Aprili anni sequentis Berolinum me contuli iisdem litteris operam daturus. Vere denique anni 1907 Vratislaviam migravi qua in urbe studiis me dare nescio quo pacto morbis saepe prohibitus sum.

Hi me docuerunt viri doctissimi:

Baensch, Delbrueck, Gelzer †, Goetz, Hilgenfeld, Hirzel, Mentz, Pick, Stoy, Wilhelm Ienenses;

Doering, Frey, Helm, Norden, Paulsen †, Riehl, Schaefer, Stumpf, Vahlen, v. Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses;

Baumgartner, Cichorius, Foerster, Hoffmann, Kaufmann, Kabitz, Skutsch, Stern, Wendland, Zacher †, Ziekursch Vratislavienses.

Ad seminaria aditum mihi praebuerunt:

Cichorius, Doering, Foerster, Kaufmann, Paulsen †, Skutsch, Stern.

Quibus omnibus, qui me doctrina pariter ac benignitate foverunt, imprimis vero Francisco Skutsch gratias ago maximas, relaturus si satis referre possim.

Theses.

1. Persii vita Suetonio tribuenda est, non Probo.
2. In altero prooemio Phaedri retinendum est *ita si rependet illi brevitas gratiam* (P R) pro *ita, si rependet illam brevitas gratiam* Heinsii coniectura.
3. Avien. 1689 = Verg. Georg I, 367 + Lucr. II, 207.
4. Clausulis culpae est dandum, quod locutio *et cetera* ut in lingua Franco-Gallica ita etiamnunc a nobis adhibetur.
5. Male Wowerus traiecit *solubilem* ***esse et*** *mortalem* in Minucii Felicis dialogo 34,4, ubi *solubilem* ***et esse*** *mortalem* recte praebet codex P.
6. Minuc. Fel. 6,3 codicis scriptura *hinc perpetuus venerationis tenor* ***mansit,*** *qui longa aetate non infringitur, sed augetur* Cornelissenii coniecturae *hinc* . . . ***manavit,*** . . . praeferenda est.
7. Pro Minuc. Fel. 7,2: *specta de libris me****moria iam*** *eos deprendes* . . . coniciendum est: *specta* . . . *me****moriam: iam*** *eos* . . . . . non *me****moriam:*** *eos deprendes* quod Boenig scribi vult.
8. Paullatim pro quantitate in clausulis accentus in rationem vocari coeptus est, ita ut aliquamdiu utriusque ratio haberetur.